

V C
3107

A.
L.
C.
D V
R O
sch


Cuv

C V
COM
Elect
uir

M.
Er



A. 1729. Gratulationes
ILLVSTRISSIMO
Nov. 27, 29. ET DOMINO, DOM



CHRISTIANO II.

DVCI SAXONIÆ, SACRI
ROMANI IMPERII ARCHIMAR-
schallo & Electori, &c. Landgrauio
Thuringiæ, Marchioni Misniæ, &
Burggrauio Magdeburgensi, &c.

SCRIPTÆ,

Vna,

*Cum illustrissimus Princeps Elect. fe-
liciter nascendo mundum ingressus esset,*

Iam recusa:

Altera,

CVM ANNO AETATIS XVIII.
COMPLETO EXACTOQUE TERRARVM
Electoatus Saxonici, & coniunctarum pro-
uinciarum paternarum, gubernationem hæredi-
tariam lætis auspicijs susciperet.

NUNC RECENS EDITA:

Autere

*Donum au-
toris.*

M. Abrahamo Cummero Ortrancio.

A N N O

Errent & pereant nantes, ego Me Dabo Chr Isto.

✻ (*) ✻



II
Du
Ar
tic
fu
ma
ma
cu
an
le
co
se
Pr
m
Fi



ILLVSTRISSIMO PRIN-
CIPi ET DOMINO, DOMINO
CHRISTIANO II.

Duci Saxonix, Sacri Romani Imperij
Archimarschallo & Electori, Landgrauio
Thuringix, Marchioni Misnix, & Burggrauio
Magdeburgensi, &c Domino suo
clementissimo.

Multa sunt, illustrissime Prin-
ceps Elector, Domine clementissi-
me, quæ magistratui suo boni ci-
ues & grati subditi debent subiec-
tionis, oboedientix, & pietatis officia, eaq;
summa sacrarum literarum autoritate confir-
mata. Vt enim de generali quarti præcepti
mandato nihil dicam, quod primum illi se-
cundum DEVM honorem tribui iubet: vt eti-
am nomina taceam quibus augustissimis excel-
lentem hunc in genere humano ordinem
commendat, & maiestate fermè diuina ornat
scriptura, dum non tantum Reges, Dominos,
Principes, Thronos, Scuta, Præsidia & funda-
menta terræ, sed etiam Deos, Deorum Filios,
Filios Excelsi, & Christos domini appellat, se-

verèq; interdicit, ne quis illis aut maledicat,
aut sibilum faciat, aut aliquo alio pe. ulantia
genere ludibrium contumè excitet: Cer-
tè Filius DEI, date, inquit, quæ sunt Cæsaris
Cæsari: & descriptum extarius Regum apud
Samuelem: Apostoliqu; monent, quemadmo-
dum & Ieremias propheta, ne quis omnino
nominum, qui Christiani perhiberi aut vera
Ecclesiæ ac populi Dei membra esse volunt,
quicquam contra Magistratum ausit, sed reue-
rentiam potius paratamq; obædientiam, cum
ardentibus pro salute & incolumitate ipsorum
precibus, offerant omnes: Ita enim verba so-
nant, subditi estote potestatibus super eminen-
tibus, & cuius humanæ creaturæ, propter
Dominum, siue Regi, tanquam præcellenti,
siue præsidibus, ut qui ab eo mittentur: Et,
reddite quæ debentur illis, vectigal, timorem,
honorem: Et iterum, quærite quæ optima
sunt, & orate pro ipsis: orate pro Regibus &
omnibus in eminentia constitutis etc. Ratio
etiam additur, quia saluis ipsis salui & vos eri-
tis, & placidam quietamq; vitam degetis cum
omni pietate ac honestate: Nec enim est pote-
tas nisi à DEO, quæ vero sunt potestates à DEO
ordinatæ sunt, & quisquis resistit potestati, DEI
ordinationi resistit; & paulo post, DEI minister
est magistratus tibi in bonum, ultor autem ad iram
tibi qui quod malum est fecerit. Inter

Inter omnia autem illa quæ à subditis requi-
runtur officia duo vehementer necessaria esse,
alijsq; antecedere, aut saltem reliqua sub se
continere arbitror, Preces & Gratitude[m].
Qui enim pro principis sui fortuna ac prospe-
ritate orandum, DEVM q; sedulo sibi esse iuuo-
candum statuit, ab obedientiæ & reuerentiæ
finibus haud facile recedet: qui gratitude[m]
etiam debere se intelligit agnoscitq; nec de o-
neribus querimoniam habebit vnquam, nec
cum seditiosis fortè conuersabitur: Vtrunq;
horum rectè & debet ac potest præstari vulgò
ab omnibus, maximè autem ijs qui pietatem
alios docent, & humanioribus se studijs poli-
tæq; doctrinæ manciparunt. Vt autè fieri illud
sine intermissione per totam cuiusq; vitam par-
est, ita auspiciantibus initia gubernationis suæ
Principibus non intermitti oportet. Illustris-
sima igitur celsitate tua (quod felix faustumq;
sit, & nō his solum terris, sed vniuersæ Germa-
niæ Imperioque Romano & toti adeo Orbi
Christiano salutare) gubernacula Reipublicæ
& paternarum ditionum suscipiente, officium
facere videntur qui Cels. T. principia ista lætis
acclamationibus prosequuntur, & quocunq;
modo possunt vota sua testantur publicè.

Illorum in numero cum nomen quoq; meū
extare & illustrissimæ cels. T. probari cuperē,

subiectissima animi propensione hoc quale-
cunq; carmen scripsi, illudq; illustris. Cels. T.
auspicijs gratulando consecrare volui: id vt
facerem duplici me nomine aut etiam iure te-
neri, ac quadam quasi necessitate obstrictū esse
videbam, tum quòd in munere publico consti-
tutus, & ei ludo, quē laudatissimi & sempiter-
na memoria dignissimi Principes quondam
Electores Diuus MAVRICIVS, Diuus AVGVST-
VS, Diuusq; CHRISTIANVS, cels. T. patri-
us magnus, auus, & Pater, pro illustrissima sua
liberalitate ac munificentia hīc fundarunt, &
hactenus clementissimè fouerunt, sacris con-
cionibus habendis addictus essem, tum autem
quòd tali poëmatio ante annū iam decimum
octauum illustris. cels. T. natiuitati fuiffem
gratulatus: quam meam gratulationem illust.
cels. T. auum Diuum AVGVSTVM clementis-
sime gratam habuisse scio. Piaculum ergo fo-
re putabam & summam in DEVM ingritudi-
nem, qui mihi tam diu vitam benignè proro-
gasset, si nascenti Musas nostras canentes ad cu-
nas adduxiffem, nunc autem regnum adcunti
(quid enim hoc nomine non liceat nuncupare
amplissimam Electoratus dignitatem & cul-
tissimas Saxoniae Thuringiae ac Misniae prouin-
cias: cum Spiritus sanctus vnus etiam ciuita-
tis Rectorem titulo regio dignetur) ranas Se-
xiphias exhiberem.

Acci-

Accipe itaq; illustrissime Princeps Elector
munusculum hoc nostrum chartaceum, cui
priorem gratulationem denuo excusam addi-
di, quòd similis & pænè eadem materia esset, &
exemplaria illius à nonnullis desiderari audie-
ram, & illustrissimæ celsitatis tuæ genealogiã,
quam in illa à THIMONE magno, in hac au-
tem à SIGHARDO vsq; deduxi atq; pertexui,
vno libello exponi commodum visum esset:
nec dubito quin lectores beneuoli aliquam
sint inde voluptatem percepturi.

Est profecto illustriss. cels. T. prosapia inter
omnes in Germania Principum familias anti-
quissima & nobilissima: quam etsi cum qui-
busdam scriptoribus ad tempora ante CHRIS-
TYM natum referre certò non ausimus, satis
tamen constat ab annis plus minus mille cam-
rerum gestarum gloria floruisse, & Duces ac
Reges magnanimos, fortitudine, iustitia, gra-
uitate ac sapientia præstantes quam plurimos
procreasse. Nam qui BERTHARIVM SIG-
HARDI patrem constituunt, ultra annos mille
Regiæ dignitatis in hac familia honorem ex-
tendunt: Fuit enim BERTHARIVS Saxoniarum
Rex temporibus LOTHARII Francorum Regis,
Patris DITBERTI, cum quibus bella gessit, &
tandem in pugna ipsius LOTHARII manu
hasta transfossus occubuit. SIGHARDVS au-

tem, de quo vt stirpis conditore nemo quisquam ambigit, anno à nato in terris homine Filio D E I æterno sexcentesimo quadragesimo secundo insigni potitus victoria est cōtra vandalos, eâq; obtinuit, vt Saxones è tributarijs liberi, Regumq; Francicorum socij & amici efficerentur. Tantæ antiquitatis in familia cels. T. monumenta præclara qui non videt, parum in ea curat, ne ille lippus est, & Ducum maximorum gloriæ malignus æstimator.

Nec tamen censendū, nulla ante BERTHARRIVM & SIGHARDVM apud maiores ipsorum extitisse excelsi animi virtutisq; documenta. Vtinam citius aut Religio Christiana aut bonæ literæ ad Saxones peruenissent, non ita Heroū intrepidorum egregia facinora, exanclatiq; pro patria labores tenebris fuissent & obliuione obruti. Verum inuidit fortuna fortissimis viris felicitatem quæ Græcis & Romanis vberima contigit, & accidit illis quod Horatius non minus verè quàm eleganter queritur,

Vixere fortes ante Agamemnona

Multi, sed omnes illacrymabiles.

Urgentur ignoti q; longa

Noctæ, carent quæ vate sacro. Et nostri secu-

li vir ac poëta optimus Petrus Lotichius secundus Germanus canit,

Fortunate Senex, calo tua nomina collis

Gloria

*Gloria, quæ lætis mundum circumuolat alis:
At nisi munificus Musis ea dona dedisses,
Heu quibus intenebris, quanta sub nocte iaceres
Flebilis, & penitus caligine consitus atra.*

Argumentum magnum eximiæ virtutis & industriæ ac dexteritatis singularis & hoc est, quòd ex hac C. T. familia vetusta non pauci numero sed bene multi Reges electi olim fuerunt. Consentiant hac in re scriptores annalium & rerum Saxonicarum panè omnes, Ante CAROLI Magni tempora Saxonum Rempublicam in duodecim circulos distinctam, & à duodecim viris siue Toparchis fuisse gubernatam, ita vt legibus communib⁹ pace tranquilla suam quisq; ditionem regeret, & incidentibus forte negotijs grauioribus, quæ consideratione accurata egerent, ad consilium ea referrentur, publicaq; totius Duodecimuirorum senatus autoritate quod optimum visum esset constitueretur: Bello autem ingruente ex Duodecimuiris illis Rex, cui omnes parerent, eligeretur is, qui animi fortitudine, prudentia, & rerù usu dignior, reliquisq; præstantior haberetur. In ijs ergo, quæ literis mandata extant, rerum istarum monumentis, nescio sanè an plures etiam præter duos nominentur Reges, quando præsertim cum Francis res fuit, qui non ex inclyta C. T. prosapia oriundi fuerint, Continua

A §

enim

Gloria



enim serie BERTHARIVS, SIGHARDVS,
DIETERICVS, EDELHARDVS, VVERNE-
CHINVS & VVITECHINDVS Magnus, omnes
T. C. antiquo longoq; stemmate maiores, Sax-
onum Reges numerantur, donec CAROLVS
tandem Romanorum ex Germanis Imperator
primus illum Duodecim virorum Senatum
sustulisse, & Saxonibus Duces comites ac pala-
tinos dedisse scribitur.

Iam si quis, extra Germaniã, Hierosolymo-
rum Thessaliãq; quondã Reges & Dominos,
Montisq; ferrati & Albingaunorum Marchi-
ones ac Duces, in Germania vero Bauariã,
Sueviã & Carinthiã Duces antiquos, quorum
posteritas iam desijt: Sabaudiã quoq; Princi-
pes, & ipsos Gallorum Reges, qui etiamnum
florent & rerum per annos sexcentos potiun-
tur, omnesq; ex T. C. familia illustrissima ori-
ginem ducunt: illos ergo si quis enumerare,
elogijsq; & encomijs suis amictos producere
velit, Deum immortalẽ, quantum ille quamq;
latẽ patentem laudum nobilissimarum cam-
pum ingrederetur.

Cæsares autem maximos, HEINRICVM AV-
c v pem dico, & ex ipso prognatos OTHONES,
primum, secundum, tertiũ F. N. & Pr. HEIN-
RICVM quoq; SANCTUM, ibidem ex HEINRI-
co F. Bauariã Duce Pronepotem, agnatos

TUOS

tuos magnos, quæ vnquam erit tam ingratae
impudentiæ posteritas, vt non summis laudi-
bus iugiter prædicet & extollat præstita ab ip-
sis Germaniæ Imperioq; Romano beneficia?
Quod enim à crudelissima Hunnorum imma-
nitate liberata olim Germania, quòd ab Italia
Sarraceni depulsi, quòd ad fidem Christianam
conuersi Vandali, quòd deniq; ius & potestas
Imperatoris Romani ex solis Principibus Ger-
manis per Electores creandi Germanis com-
missa ac confirmata, & per hunc ordinem
hactenus Imperium defensum & conseruatum
fuit, post DEVM omnipotentem ipsorum pru-
dentia & insigni erga patriam caritati accep-
tum referri debet.

Sed nec illud prætereundum, quod an in a-
lia familia vlla reperiat non modo dubitari
sed & constanter negari possit. Notum est e-
ruditis varia olim tam apud Romanos quàm
Græcos gentesq; alias viris præstantibus aut ab
vrbibus prouincijsq; captis deuictisue, aut ab
aliquo felici casu & euentu, aut virtutibus re-
busq; gestis indita fuisse cognomina, vnde A-
fricani, Asiatici, Numidici, Macedonici, Achai-
ci, Isaurici, Numantini, Coriolani, Fidenates
& id genus alij Romanis, Græcis vero Soteres, &
Callinici, & Nicanores, & Euergetæ, & Poly-
crates fuerunt: Arcum autem gestarū mag-
nitu-

nitudine quosdam **MAGNOS** appellatos ita legimus, ut ex aliis gentibus singulis vix vni nomen illud contigerit, nec duobus aut pluribus ex eodem populo, multo vero minus eadem tribu aut familia honorem illum habitum fuisse scribatur: Sic **MAC**-dones **ALEXANDRUM**, **ROMANI** **POMPEIUM**, **ASIATICI** **MITHRIDATEM**, **JUDÆI** **HERODEM**, **CHRISTIANI** **ORIENTALES** **CONSTANTINUM**, **Occidentales** **CAROLUM** **MAGNOS** singuli singulos habuerunt: At in **T. C.** illustrissima vna eademque familia ut minimum quinque numerantur qui à rerum magnarum gloria hoc cognomen cepere: **VVITTECHINDVS** enim primus, **VVERNECHINI** filius, qui per annos triginta **CAROLO** **MAGNO** armis se opposuit, idem quod Imperator cognomen adeptus **MAGNUS**que dictus est: & fratris eius **BRUNONIS** abnepos **OTHO** primus Imperator maximo omnium cum assensu **MAGNUS** audiit: de quo præceptor meus **Dn. Georgius Fabricius** in **Originibus** ita scribit: Omnino Imperatores tres fuerunt **Ecclesiæ CHRISTI** potentes, & perpetui amici: **CONSTANTINVS** **MAGNUS** è **ROMANIS**, **CAROLVS** **MAGNUS** è **FRANCIS**, **OTHO** **MAGNUS** è **SAXONIBUS**: Quibus **DEVS** in hostibus subiugandis præsens sæpissimè affuit, & se defensores pij magistratus signis manifestis & miraculosis victorijs declarauit: Eadem de

cau-

causa Romanus Pontifex Iohannes, & in ser-
monibus & in literis Augustorum Augustissi-
mos hos Cæsares nominavit. Ab eodem VVIT-
TECHINDO M. è VVITECHINDO F. & VVI-
TECHINDO N. descendens in recta linea
quintus, HUGO Parisiorum comes, & ipse
propter res gestas Magnus cognominari me-
ruit, Pater HUGONIS Caperi, conditoris Re-
giae stirpis, quæ nostro adhuc tempore in flo-
rentissimo Galliarum Regno sceptrum coro-
nanaq; gestat. Tandem etiam THIMO & CON-
RADVS Pater ac Filius T. illustrissimæ celsita-
tis tritavi, Magni dicti sunt, alter obstrennuè
navatam HEINRICO IIII. Imperat. in bellis
civilibus operam, alter propter res in Asia &
alijs regnis externis præclarè administratas.
Habeant laudem suam, eaq; cum voluptate ac
gloria fruantur gentes nationes & familiae aliæ,
nos nostra merito agnoscimus & prædicamus
decora, & cum illo ipso quem modo nomina-
ui Georgio Fabricio turpe, bonoq; ciue & fi-
deli subdito indignum putamus, externa in-
quirete, & resperegrinas magnificere & ad-
mirari, bona autem propria, & positam ante
oculos nostrorum Ducum & Patriæ patrum
virtutem ac splendorem nec extollere nec
considerare.

Omni-

Omniū autem ornamentorū splendidissimū
& longè pulcerrimū hoc est, quod sub illustris Cels.
T. familiæ patrociniō, post densissimas & plus quā
Cimmerias tenebras pontificias, veritas cœlestis & pu-
ra Euangelij doctrina ex immensa omnipotentis DEI
misericordia mundo rursū eluxit, & sumto ex his T.
Cels. ditioni subiectis terris initio, non tantum per Ger-
maniam, sed exteras etiam nationes & amplissima Eu-
ropæ regna propagata & in hodiernū diem conserua-
ta ac defēsa fuit. De quo tanto Tuæq; illustris Cel-
sitatis familiæ peculiari & quasi domestico bono existi-
mo satius esse nihil quā pauca ieiunè ac parcè dicere.
Illud palām est notumq; omnibus magnam propterea
inuidiam, maiora odia, maxima vitæ fortunarūq; di-
scrimina sustinuisse illustrissimos Ensiseros sex, qui in
hac Electoratus dignitate T. C. proximè antecesserunt,
sed perripisse semper feliciter, & sartam tectam Reli-
gionem nobis pura putaq; fide reliquisse. Nam FRI-
DERICVS ille SAPIENS, sub quo ortum est Euangelij
lumen, dimoueri ab eo nec minis nec blanditijs vnquā
potuit. IOHANNES Frater eius, in summo Aduer-
sariorū fremitu sæuissima quæq; minitantium Au-
gustanam Confessionem publicè Cæsari & Imperij Or-
dinibus exhibuit, & diras ac execrationes animo ma-
gno contempsit. IOHANNES FRIDERICVS I. pro-
pterea captiuitatem quinquennij subiit, quin & vitam
impendere, & sanguinem suū iccirco, nisi mitigata
Cæsaris ira fuisset, profundere fuit paratus. His suis
patrue libus sociū se in Veritatis professione feliciter
adiunxit proauus tuus, Diuus HEINRICVS de quo illud
memorabile est apud Sleidanum, Quod hortantibus

vt ad

vt ad pontificiam religionem rediret, & magnos ideo
thesauros pollicentibus legatis respondit, Vos, inquit,
idem mihi facitis quod in Euangelica historia Satanas
CHRISTO, tum illo totius mundi Regna pollicere-
tur, modo procumbens ad pedes ipsum adoraret: an
vero tanti apud me esse putatis vllas opes, vt earū caus-
sa velim ab agnita veritate puraq; Religione discedere?
multum certe vos expectatio vestra fallit. Hæc ille.
MAVRICIVS vero Elector Cæsari, in summa sua for-
tuna mutationem rituum & doctrinæ vrgenti, mascu-
le respondit, & tandem ad Patriæ & Religionis liber-
tatem vindicandam arma induit, pacemq; Religioni,
quæ etiam nū per Germaniã & Imperij prouincias durat,
impetrauit. At optimus AVGVSTVS nata per infeli-
cem libri Intermissici partum inter Augustanæ Confes-
sionis Doctores dissidia & certamina penitus sustulit,
piaq; cura ac sollicitudine absoluto editoq; Christianæ
Concordiæ libro, omnes etiam alias sectas & hæreses,
inq; primis Calvinianam, ab his terris auertit & profli-
gavit. Sub Illustrissimi Parentis tui Electoris CHRIS-
TIANI I gubernatione etsi improborum quorun-
dam hominum maliciosa machinatione & artibus Ma-
chiauellicis *δυσφραξ* nonnulla acciderunt, sæpissimè
tamen protestatum eum, & cum indignatione dixisse
accepimus, se eam quam ab optimis suis Parentibus ac-
cepisset & in qua natus ac educatus esset, Religionem
serio amplecti, & omnes fanaticas cumq; illa pugnan-
tes opiniones, tum autem præcipuè Sacramentariam &
Calvinianam adeo odisse, vt si sciret vnam corporis sui
venulam illa infectam, seipsum eam euulsurum & pe-
dibus conculcaturum fuisse.

Horum

Horum ergo laudatissimorum Principum vestigijs
insistere cum illustris Cels. T. in animo constitutum
planeq; fixum habeat, id quod nuper etiam praestito ho-
magio T. celsitatis nomine pronunciatum publice fuit,
Velle nimirum illustris. Cels. T. per DEI gratiam in
agnita veritate coelesti ad extremum vsq; vitæ halitum
constanter permanere, & eius doctrinæ quæ in Sactis
Propheticorum & Apostolicorum scriptorum literis,
Augustana Confessione non variata, & Christiano con-
cordiæ libro continetur, patrocinium suscipere, gau-
dent utiq; & lætantur sincero cordis gaudio omnes pij
Cels. T. illustrissimæ subditi, DEVMQ; intimis votis orāt,
vt in hoc tam sancto proposito Cels. T. ad beatum vsq;
vitæ finem (quem ad effatam decrepitamq; senectam
differri optamus omnes) confirmet, stabiliat, roboret,
& planè ita gubernet dirigatq;, vt illustrissimorum Ma-
iorum tuorum virtutes, & summas pietatis, iusticiæ,
fortitudinis & constantiæ laudes non modo æquasse
sed & superasse proq;, MAGNO MAXIMUS euasisse ali-
quando perhibere Misenæ in Afrano, pridie Id. No-
uembri, Anno à CHRISTO Seruatore M. DC. I.

Tua illustris. Cels.

Subiectissimus subditus

M. Abrahamus Cummerus.

DE IL-



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
ET DOMINO DOMINO

CRISITIANO,

Duci Saxoniae, Landgrauio Thuringiae,
& Marchioni Misniae, & Domino
suo clementissimo.

DUbi non est, Christiana-
ne Princeps & Domine Illu-
strissime, quin populorum
dignitas & gloria coniuncta cum Re-
gum sit salute atq; fortuna: id enim &
historiae veterum & exempla recentia
testantur, nullam vnquam magnam
calamitatem terras inuasisse, cuius ex-
pertes fuissent Gubernatores ac Duces
populi, quemadmodum nec vlla fuit
Regum felicitas, quae non in subiectos
se tanquam vberrimi fontis riuuli lae-
tissima rigatione effuderit. Atq; ideo
A iudi-

estigijs
tutum
to ho-
ce fuit,
iam in
alium
Sactis
literis,
nocon-
e, gau-
nes pij
is orat,
um vsq;
nectam
oboret,
um Ma-
ustici,
equasse
sille ali-
d No-
DC. I.

erus.

E IL-

iudicare facile est, cur magistratum legitimum arbori speciosæ & vmbriatili, hominum, ferarum, ac volucrum altrici liber conferat Danielis: Nec quis reprehendi iure possit, si vt salutem animæ Dei Verbo, cuius in sola I E S U C H R I S T I Ecclesia vera est sinceraq; cognitio, ita fortunarum & corporis conseruationem Regibus ac Principibus secundum Deum acceptam ferat, quos nomine Dei dignatur scriptura Prophetica, & patres propitios atque viuam Dei imaginem sapiens & erudita vocat gentilitas, Constat hoc etiam non esse felicem Imperiorum gubernationem absque Dei clementis auxilio, qui dat salutem Regibus, & aut manus eorum dirigit in prelio, victoriaque & triumphis coronat, aut finibus pacem donat, & ciuitates ipse custodiens seras coroborat portarum, & benedicit habitantibus in eis, vt Rex Sanctissimus

simus loquitur. Quàm vero misera-
bilis sit, & plena malorum, atque tu-
multuum omnis regnorum mutatio,
Luce est meridiana clarius, & fieri il-
lam ab irato Deo propter peccata ho-
minum, docent sacræ literæ. Eam ob
causam gentium humaniorum plæ-
ræque, id operam dederunt, vt in ma-
gistratibus deligentis familias facilè ne
mutarent. Et Lacedæmonij quidem
ne Regum genus ex Hercule sibi in-
teriret, Anaxandriden vxori sterili coë-
gerunt superinducere alteram, ex qua
liberos susciperet & Spartiatis Reges
Heraclidas procrearet. Persæ autem
Magis occisis, & recuperato atque A-
chæmonidarum familiæ restituto re-
gno, non tantum Magophonias fe-
stum solenni die publicè celebrarunt,
sed etiam natis Regibus filijs Supplica-
tiones ad templa Diuorum institue-
runt & obtulerunt munuscula: ex quo

gentis ritu nato in terris Filio DEI
quidam ab oriente assumptis terræ suæ
& in sarcinis compositis rebus præcio-
sissimis, ad Iudeorum vrbes peruene-
runt, inuentoque Bethlehemi puero
IESV aperuerunt thesauros, donan-
tes illi tanquam Regi & Domino ea
quæ attulerant, aurum, thus, & myr-
rham: quemadmodum in historia Eu-
angelica commemoratur.

Hæc cogitanti mihi & consideran-
ti diligentius, fortunatissima videtur
gens nostra & Myforum natio, quæ
inde à THYMONE, Magno ad præ-
sentem vsque Illustrissimi Principis E-
lectoris Augusti Domini mei clemen-
tissimi gubernationem, ex vna stirpe
continua serie genitis Principibus, Il-
lustrissimis celsitatis Tuæ maioribus
laudatissimis, paruit annos pænè quin-
gentos: quo tanto tempore etsi aduer-
santis fortunæ impetum experta non-
nun-

DEI
e suæ
ecio-
ene-
uero
nan-
o ea
myr-
a Eu-
eran-
detur
quæ
præ-
is E-
nen-
tirpe
, Il-
ribus
quin-
uer-
non-
nun-
nunquam est, ita tamen protectione
diuina, & Ducum suorum magnani-
mitate, virtute, fide, felicitate defen-
sa fuit, vt & Dominis proprijs asserta,
& nouis semper sit opum, potentia,
dignitatum accessionibus locupletata,
& iam inter præcipuas Germaniæ pro-
uincias emineat pietatis & iusticiæ lau-
de, exculta religione, literis, & huma-
nitate. Hæc tanta bona, & Dei fauen-
tis illustria beneficia agnoscere, & gra-
ta mente extollere, precibusque ac vo-
tis prosequi par est publicè omnes &
priuatim singulos.

Quod igitur ex Dei propitij beni-
gnitate & misericordia immensa illu-
strissim. celsitati Tuæ nuper IX. Cal.
VIIIbris, hora III. Mat. natus esset filio-
lus primogenitus, Dux Christianus, in
quo certum est non modo illustrissimæ
T. celsitatis & illustrissimorum paren-
tum tuorum amorem, delectationes,

A 3 gau-

gaudia versari, sed & nostrum om-
nium, & communis patriæ, & posteri-
tatis venturæ niti spem, gloriam, for-
tunas: ego quam in animo meo ex ea
natiuitate perceperam læticiam, qual-
que pro Celsit. T. filioli salute & inco-
lunitate preces cotidie ad Deum om-
nipotentem ardentes facio, publicæ te-
stificationis causa versibus conscripsi &
in formam munusculi redege: inter-
texui etiam Illustriss. Cels. T. prosa-
piam, & Illustrissimorum Principum
maiorum tuorum præclara aliquot fa-
cta, ea præsertim, quæ numeris poëti-
cis: quod ego sciam, mandata antea
non sunt.

Illum meum qualemcunque labo-
rem Illustrissimæ Cels. T. offero non
quòd tantorum heroum laudibus &
immortalitati satisfacere me, aut tuam
illustriss. Cels. scriptorum meorum le-
ctione delectari posse sperem: sed ut
grati-

om- gratitudinem DEO, & Illustriss. Cel-
steri- sitati T. honorem & venerationem ani-
, for- mi debitam declarem. Oro autem æ-
ex ea ternum Deum, patrem Domini nostri
qual- IESV CHRISTI, vt mea vota pro
inco- Illustrissimo Domo Vestra in hoc scri-
a om- pto facta confirmet omnia: cuius pro-
cæ te- tectiōni Illustriss. Cels. Tuam, & me T.
ipfi & celsitatis clementiæ submissè, & humi-
inter- liter commendo. In Monte Cœlio,
prosa- propè urbem Misnam. Prid. Cal. No-
ipum uembris, Anno à Christo Seruatore,
ot fa- M. D. LXX XIII.

T. Illustriss. Cels.

Subiectissimus seruus

Abrahamus Cummerus
Ortrancius.

'DE

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

DE

D

Du

C

Aux

Fel

Lat

Opp

Vot

Et c

Qu

Arg

Art

Ne





DE ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI,
DOMINI

CHRISTIANI,

Ducis Saxoniae, Landgrauij Thuringiae,
Marchionis Misniae, &c. nato filio
Duce CHRISTIANO, &c.

GRATVLATIO I.

Cum noua dona ferens, sperataq;
gaudia terris (clyta mater
Saxonicam generosa donum SOPHIA, in-
Auxisset, socero AVGVSTO, patriq; parenti
Felici partu formosum enixa nepotem:
Laticia fremuere vrbes, & subdita late
Oppida, perq; aras & templa nitentia miti
Vota DEO gratis soluerunt debita linguis,
Et citharæ cantus, animi argumenta sereni,
Quæq; hilarem vulgi faciunt per compita mentem
Argutæ sonuere lyra, sonuere recurui
Artificum litui, commistaq; buccina cornu.
Nec minus in campis leto se corde tulerunt

B

20

Et festos egere dies, circaq; penates
 Agricola, dulcis perfusi munere Bacchi,
 Incomitis lascere modis, quos rustica pubes
 Pone sequens, manibus retro per inane volutus
 Iubila concinuit, replevitq; aëra plausu.

Quin & pastores, & vura, ac prata voluptas
 Illa alacres habuit, clausosq; in ouilibus agnos,
 Et silvas, lucosq; sacros, nemorumq; recessus,
 Fontesq; fluuiosq; & amantes ardua montes.
 Ipse autem ingentes concepit pectore motus,
 Limite Mysorum veteri quâ terminat agros
 Albis aquis opibusq; potens, & fortibus armis
 Qui celsa erumpens primum sub rupe Gigantum
 Undenis paruum confirmat fontibus alueum,
 Et socium Muldan assumunt agmine facto
 Roiorum pingues percurrit flumine campos,
 Sudeturaq; iugis cautè demissus ab altis
 Ambiguo strepitu fines Misneidos amplas
 Intrat, ubi, nigrum postquam suscepit Elistrum,
 Et Myldam Ascanium, & spumantem gurgite Salam
 Saxoso, tandem Chaucorum allabitur oris,
 Donec Gambriuios penetrans, ditatus Hauelo
 Marchidos Oceano concedit iura Boreo
 Expectatus, Saxonidum regnator aquarum.

Nec mora, pumiceo pendentia fornice tecta
 Egressus, sparsis passim per littora Nymphis

Inte

Intonuit, signumq; dedit: Atrox se obtulit ultro
 Caesarica nitidam per collum effusa PYRENE,
 Et DRYMO flavos auro intertexta capillos
 Naiadum DRYMO pulcerrima, fluminis almi
 Delicia quondam, nunc Regum cura Ducumq;
 Vitisferumq; caput MYCALE præcincta corymbis,
 Et Dryadum cognata THOE, totumq; per orbem
 Cognita cum Musis retinens commercia LEUCE.
 Omnes Albigena, præstantes artibus omnes,
 Et docta cantare pares & ducere fila.
 Venit & hospitio paulum digressa paterno,
 Inter Hamadryadas Lipare celeberrima Nymphas,
 Quam Pleisæ densa tiliarum iunctus in umbra
 Limosas voluens Philyraus Elister arenas
 Progenit, ripæ expositam, & ne dura nocerent
 Infanti, aut nudum torrerent frigora corpus,
 Involuit teneros caprarum pellibus artus,
 Unde suum Diæ tribuit Germania nomen.
 Illas cœruleæ postquam conuexa sub alta
 Spelunca accepit, vitreaq; in sede locavit,
 Affatus placidè verbis est talibus Albis.

Ergo, DEÆ, vestras etiam peruenit ad aures
 Laticia bona fama nouæ, plaususq; recentes?
 Audistis Diæ, audistis, quæ gaudia tandem
 Exoriens nuper populis portavit Eous.

B e O quem

Intro

P quem nec vasto tellus circumdata ponto,
 Aequoraq; allisis resonantia fluctibus, unquam
 Laudauere satis, nec moles terrea mirè
 Supposito fundata salo, tractusue patentes
 Aëris, & Cæli semper reuolubilis orbes,
 Omnipotens, æterne Pater, Men' ista videre
 Secula tam fausta sese tollentia luce?
 Qua nati agnoscens prolem, verumq; Nepotem
 AVGVSTVS princeps canis exultat in annis,
 Jucundisq; ferire iubet clamoribus auras,
 Et Domini cunis festas agitare choreas
 Subiectos: Da magne Pater solida ista tenere
 Gaudia, Da longam vitæ contingere metam
 Infantem, nec adire domos prius ætheris altè
 Quàm rursus sobolem ipse suam de stirpe Parentum
 Aspiciat, genus unde Ducum AVGVSTIQ; propago
 Perdurans, mundi tandem fortissima finem
 Occupet, & nusquam gente intereunte nepotum
 ALBERTO genij succedat sanguinis ordo.
 Quid tamen Albiades nos ad tam leta remissi
 Tempora perferimus? quæ dona paramus honorè
 Infantis Domini? nec enim cunabula fas est
 Indotata Ducis relinquare: Scilicet omnis
 Editus in lucem patre Principe Regius infans
 Fato terrarum felicè nascitur, & se
 In patriæ patitur nutriri commoda: ni sit,

Ter-

Terra suos Dominos mutaret, & aggere rupto
 Sanguineus torrens invaderet arua, colonis
 Exiium pestemq, ferens: At principe nato
 Cui pater est regni qui scepra gubernat auita
 Pax viget, & pacis custos pulcerrima rerum
 Iusticia, inq, suis securæ mœnibus vrbes
 Exercent opera, & pleno se copia cornu
 Diffundit, recreatq, animos, ceu nectare quondam
 Cœlesti postquam fata leta boumq, labores
 Aspersit ros aërio de vertice montis:
 Ille rigat teneras fecunda vligine plantas,
 Et liquidis passim collucent gramina gemmis.
 Ergo agite, & Tyrio saturatam murice lanam
 Versantes, docta quid possit quæq, Minerva
 Seu fuso seu fors an acu contendite: Nulli
 Fraus sua sedulitas: Omni quin arte magistra
 Precipitate moras: aut si iam tela parata est
 Quam vestre fecere manus, huc ocyus illam
 Porrigite atq, oculis censendam exponite nostris,
 Aut pallam distinctam auro, signisq, rigentem,
 Aut, circa thalami quod diâ puerpera frontem
 Suspendat velum, letisq, obtutibus illic
 Aspiciat pueriq, sui pueriq, parentis
 Magnanimos proavos, & Maiorum inclyte facta.

Hæc Albis: quem sic Mycale ressecuta loquentem est.

Maxima natarum, fluvij si tempora lapsi
 Dinumeres aui, si gentis nomen & Urbis:
 Rem nulli obscuram, sed perfecta artis egentem
 Præcipis, & Genitor, certè haud ignobilis oci
 Materiam tractare iubes: en nostra laborat
 Iam dudum cura, ut gratam testantia mentem
 Dona Duci patriæ nato mittamus ouantes.
 Dona illi, sed thura Deo: namq; OMNIA NOBIS
 PROPITIO tribuente Deo, Ducibusq; benignis
 Commoda proveniunt: nos gratamente vicissim
 Thura DEO, Ducibus debemus dona benignis.
 Sed tu desine plura Pater, sunt munera præstò
 Textilia, & vestes ostrog; auroq; decoræ,
 Vel quales olim nevit Sidonia Dido,
 Vel Regem Aeneam Heleno comitante marito
 Chaonio in regno falsi Simoentis ad undam
 Hectoris Andromache puero donavit Iulo.
 Sic ait, & nitidum, gremio quod fortè gerebat,
 Explicuit tela mirandum atq; arte volumen,
 Serica cui toto residebant stamine fila,
 Serica claudabant sub tegmen fila, tenaxq;
 Extremas lymbus circumdabat aureus oras:
 In medio faciesq; hominum faciesq; locorum
 Cernere erat, baccaeq; sua, sua cuiq; tributa
 Lumina quæ proprias poscebant corpora formas.
 Cætera pars glauco ridebat tinctæ colore.

Sicut,

Sicut, ubi, longos cum misit Iuppiter imbres,
 Et tempestatum nebulae texere sonantum
 Mundi oculum superasq; faces, violentior Euros
 Aërios fumos, duram mortalibus umbram,
 Proterit, & solem discussa nube serenat,
 Apparet puri facies nitidissima caeli:
 Aut qualis, fratri quando se reddidit & iam
 Aequoreis Phaebe bigas agit humida in undis
 Noctibus hybernis, stellis micat aureus ether,
 Orionq; minax, exertesq; aequoris urse,
 Et Canis, & Delphin, & caetera sidera mundi
 Cyaneo in campo, rutilantibus undiq; flammis
 Exiliant: homines decora admirantur Olympi:
 Talis erat panni, MITHRAE quem sedula secum
 Attulerat, color, & tali se luce ferebat.
 Illic heroum veterum praesignia gesta
 Qui genus antiquum, & VVITICHINDI stemma-
 Euexere, fidem Imperio Diuisq; probantes (ta Regis
 Caesaribus, nomenq; suum super astra tulere,
 Pinxerat, atq; artus ipsos, ipsa ora notarat
 Pulcra Ducum: Vivos artus, viva ora putares.

Primus caruleo quatebat in aequore currum
 Quadrjugis inuectus equis, cristamq; comamq;
 Insignis galea niueis gestabat in armis
 TETMARI pronepos gladio THYMO pulcher & hasta

8
Illum Pontificum furias & Saxona contra
Ausam virum magni tutantem Casaris arma
Periuræ sensere manus, & Elistrides vnda
Mutantes faciem tepido incaluerunt cruore,
Cum grauis indensos generosi Casaris hostes
Irrueret, ferro prosternens obuia late,
ET BILIONÆO violati fœderis ense
Supplicium lueret mutilata parte RODVLPHVSO
O qui te casus tunc & tam immania fata
Urgebant miseram, alma parens Germania, seruis
Vt seruire tuis mallet, Dominosq; Lupercos
Accipere & rasos Patres, quam libera regna
Seruare, & te mitis heri submittere iussis.
Ipse quidem tota connitebatur opum vi
HENRICVS Casar nulli tua prodere iura,
Sed maiestatem antiquam legesq; tueri
Prædonem aduersus Latium, Tyberinaq; furtis,
Semiuirum prædonem, ausu qui feuda nefando
Detrahere Imperio & soli sibi sumere tentans
Mitratos proceres Romani à præsidis omnes
Sede legi mandabat, & inuiolata manere
Hæc scita æternis voluit per tempora bullis,
Certus, ni fieret compos voti, omnia duris
Permiscere tumultibus, infima, summa, profunda,
Altaq; magna, potentia, cassaq; viribus, & si
Flectere non posset superos, Acheronta mouere.

Et

Et tunc conantem patrio se more tenere
 Fulmina in HENRICVM torquet sua, nulla merente
 Fulmina, sed laudem potius, sed premia facto.
 Quid non imprudens pietatis opinio mentes
 Ignaras hominum cogit, fucataq; cultus
 Religio? Ausonij dictis parere tyranni
 Fas pleriq; piump; putant de sanguine nati
 Teutonico heroes, quorum aut pater alluit Albis,
 Aut rapidus tumido terram secat amne Visurgis.
 Lupiaq; & Sueuo cum fratre Arctous Hauelus,
 Piscofoq; vado & ripis formosus amans
 Odera ab Elysijs deuoluens flumina campis.
 Illicet arma fremunt infandumq; vndiq; bellum
 Et Regem HENRICVM deberi in vincula clamant
 Exutum regno & diris Latialibus actum
 Ter decies solitis compleuit mensibus annum,
 Ter reuoluta tulit per sidera Cynthius orbem,
 Nec finem insani Martis, nisi funera vidit
 Sæua Ducum, atq; irna stirpem à radice recisam
 Magnorum procerum, ciuilibus premia belli.
 Interea DEVS, & quorum sententia menti
 Insedit melior, quibus ordo & numina legum,
 Imperijq; decus fuit, & Germania cura,
 Casareas iuuerunt manus: quos inter amore
 Spectatus firmaq; fide & prestantibus ausis,
 Relictas Cognati artes THYMO, munera laeta

DE DONIS tulit, & tanto gavisus honore est,
 Marchio pro meritis factus Misencidos ora.

Filius hunc iuxta CVNRADVS Iapyge fertur
 Latius equo: plaudunt illi depicta iuventus,
 Et circumfusa iuuenum longa agmina matres,
 Pallentes iaciunt violas ac molle ligustrum.
 Ipsa videbatur portis exire relicta,
 Et festas hilari plebs agmine spargere frondes,
 Porrectisq; patres actutum clauibus ultrò
 Sese offerre Duci, & submissa voce precari
 Succedat lectis, & amica per atria vultu
 Accipiat placido ciues dare vota paratos.
 Inde manu docta porrò DEa fecerat ipsum
 Aulæ in medio regali splendida luxu
 Cum thalami socia & caris conuiuia Natis
 Ducere: purpureo Genitor residebat in ostro
 Et sese aulæis coniunx LEVTHARDA superbis
 Aurea ponebat sponda: tunc ordine pulcro
 Hinc atq; hinc casti felicia pignora lecti
 Sex culta facie insigni formaq; puella,
 Et totidem iuuenes prestanti robore Natè
 Compositis Cereremq; modis & fusa Lyæo
 Pocula libabant gemmis radiantia & auro.
 Septimus abfuerat Natorum HERMANNVS, at ille
 Iam Præsul Pabebergatus fulgebat honore

Canden-

Caudentis mitra sacris operatus ad aras.
 Nec procul hinc idem semio confectus & auro
 Stabat longinquas ostendens indice terras.
 Quas cum Caesaribus spaciola per aquora vectus
 Intrasset victor Syrijs animosus in oris:
 Hic celsas Solymorum arces, hic pulsa Damaso
 Atria & ingentes Turcorum monstrat a cruos,
 Sanguineumq; diu Meandrum, inhumataq; longè
 Corpora, quod subito terrore inuaderet hostes
 Caesar, nec caperent tot mæsta cadauera ripe.
 Mox etiam ante aras procerum stipante caterua
 Cornitur exutos humeris suspendere amictus,
 Terribilem cristis galeam, & thoracis ahenos,
 Loricamq; grauem globulis ferroq; rigentem,
 Et laues ocreas, & qui fidissimus ensis
 Hærebat lateri comes in sera bella ruebat
 Si quando, & patrijs arcebat sinibus hostem:
 Sed tum tarda gelu seclusq; effata senectus
 Suadebat requiem, & pietas relinquere mundum
 Iusserat ac placida sese componere morti,
 Montis ubi tandem subisset claustra sereni.

Hinc olea frondente caput præcinctus, amico
 Tendebat vultu, & muros circumdabat urbi,
 DIVES OTHO, curans tranquillæ commoda pacis.
 Huic genus, & proavi, generosaq; stemmata Patrum
 Nobis-

at ille
 ندن-

Nobilitatem, animos virtus dabat, incluta laudem
 Religio, Sudetis opes mons ubere vena
 Nec generi deërant, nec gaudia fera nepotes,
 Concordesq; animæ fratres: diciq; beatus
 Ante obitum poterat, nisi carcere filius illum
 Impius, immanis, cæco auri captus amore
 ALBERTVS patris, clausisset, & ultima vita
 (O DEVS ô pietas) luctu turbasset amaro.

At frater, Nato melior, THEODRICVS euntem
 Consequitur diuerso habitu, nam tela coruscant
 Fraxineamq; quatit contortis viribus hastam.
 Illum indignanti similem similemq; minanti
 Aspicias, ubi regali cum veste iacentem
 Heroa, atq; humili plangentem pectore terram,
 Contra autem sella tumidum tripliciq; corona
 Immerito videt ignavis illudere dictus
 Calce fatigantem subiectaq; colla prementem.
 Teutonis in magna regni præfectus habenis
 AENEOBARBUS erat, Rex seruantissimus æqui:
 At Romam Ausoniam Capitoliniq; tonantis
 Iura sibi, & summi rapiens ROLANDVS honorem
 Pontificis, titulos mutarat nomine verso
 Dictus ALEXANDER: Non ille ut sacra doceret
 Christiadam gentes, lumenq; errantibus esset,
 Sed mundi curabat opes: vanaq; tumentem

Ambi-

dem Ambitione gereus animum, nunc crimina Regum
 Fingere, nunc odij causas, & querere bella.
 Ille etiam unanimes armare in praelia fratres
 Doctus, & infandum verbis accendere Martem
 Legitimos contra Reges, iurataq; Diuis
 Fœdera, cum vellet pacem turbabat, & altas
 Arua per undanti complebat sanguine fossas.
 Ter monitis impulsus nouis, atq; illius acta
 Consilio, ruptis demens Hetruria vinculis
 euntem Ausa est Casareas bello vexare cateruas:
 Ter valido occurrens periura milite genti
 Caesaris ignouit placidi clementia victis
 Sponte sua: quarto iustas surrexit in iras
 Lesa minis virtus, nec iam contraria castris
 Castra locat, non are iubet dare signa, sed ipsum
 Vertit in autorem, causamq; facemq; malorum
 Funeream, vim belli omnem, duraq; latronem
 Obsidione premit Latium qua maxima Roma
 Et septem posita perstant in collibus arces.
 Iamq; urbem Germanus habet: iam mœnia fumant,
 Et quo quemq; loco virtus aut fata tulere
 Teutonico cadit ense, cadunt quis praelia cordi
 Atq; atrox Bellona fuit, tum cætera circum
 Turba gemit, resonant latè plangoribus aedes.
 Ipse sed elapsus media de cæde suorum
 Fugerat, & nauam simulans deceperat hostes

ROLANDVS, tutaq; domo Venetumq; receptus
 Sedibus, Adriacoreparabat robore bellum.
 Nec tamen iccirco generosi pectoris astus
 Ingentes Caesar, formidatamq; reliquit
 Artifici scelerum faciem, nam classe secutus
 Adriacum remis FRIDERICVS perculit equor,
 Armataq; manu natum premisit OTHONEM,
 Multa prius mandans seruet quae iussa parentis,
 Cautius ut seuo vellet se credere Marti,
 Nec struere ante aciem, nec res committere pugna,
 Quam Patris propius pelago volitantia signa
 Vidisset: sic ille quidem, sic voce rogabat.
 At iuuenis nimio laudum succensus amore
 Impatiensq; animi, quae primum copia facta est,
 Immemor ab patris, subito, cane classica, dixit,
 Commisitq; viros victusq; hostilibus armis
 Intrauit Venetam captiuus nobilis urbem.
 Tunc Caesar, neq; enim patriam consistere mentem
 Passus amor, caro soluat quo vincula Nato,
 Arma iubet cessare, iraq; imponere finem.
 Et victor luet, & causa meliore probatus,
 Totq; laceesus probris, tam crimine diro
 Tarpeiae furiae, ad pacis conuersus amorem,
 Quam toties victis dederat veniam expetit ultro.
 Sederat Augusto in solio sublime refulgens
 Collis Auentini custos, clauessq; tenebat:

Hunc supplex adijt posito dademate Caesar,
 Stratus humi : Circum Veneti, Regemq; Secuti
 Astabant proceres, Germanorumq; phalanges:
 At neq; colloquio miserum, nec honore iacentem
 Dignator Dominum (tam dira superbia monstro)
 Infamis, crudelis, atrox, Stygis edita ab antris
 Bellua: Dii talem terris avertite pestem.

Impia quin etiam iactabat verba per auras
 Ira ponens colloq; pedem, & sic vocibus orsus:
 Aspidis in tergo (scriptum est) gradiere, tuamq;
 Infiges pardis plantam, statuesq; leonum
 Sub te progeniem, catulosq; Libystidos urſæ.
 Stabant attoniti proceres, mistoq; fremore
 Alter in alterius torquebat lumina vultum,
 Indignam Regis sortem, nimiumq; putantes
 Audaces Thusci insultus: sed dicere mussant.

Non tulit hanc speciem, furys sed pectora iustis
 Extimulans THEODRICVS, agensq; per agmina
 Ante Duces, ante ora stetit malè fida tyranni (gressu
 Gradivo similis, cui, cum clypeo increpat, igne
 Scintillant oculi, toroq; ardentis ab ore
 Vulcanus spirat: Quidq; ô fortissime cesar,
 Hac, inquit, pateris, nulli patienda virorum?
 An victor victo submitti, & regia seruis
 Sceptra queunt? Surge & monitus ne sperne tuorum,
 Neu decus Imperij calcandum proijce turpi

Sandalio Saga, pedibusq; fugacibus istis,
 Sic ait & tacita sub religione timentem,
 Cunctantemq; animo, dextra simul alleuat ipse
 Erectoq; facit se corpore ferre sub auras.
 Obstupuit vocemq; Ducis fremitusq; minaces
 Romanus Pater, & tum demum exterritus, amens,
 Incertusq; sui, cupidè se Caesaris almi
 Solut in amplexus, & pacem fœdere sanxit.

Ecce autem patruī THEODRICVS nomine sese
 Et virtute gerens, palla procedit honora
 Egregius, vestisq; pedes descendit ad imos.
 Illum multa quidem mens improba Regis avarè
 Et fratris duri impietas infanda cœgit,
 Exiliumq; pati: sed tandem redditus hæres
 Felici patriæ letos in pace colonos
 Iucundat enuit, iusti servator & æqui.
 Cumq; noua rursus turbarent Teutona regna
 Pontificum furia, totamq; excindere stirpem
 AENEOBARBE tuam ut possent, nunc turida me
 Miscerent aconita, malas & Colchidos herbas,
 Nunc tristes iacerent consueta tonitrua diras,
 Bella quibus quoties libitum pugnasq; ciebant,
 Legitimis semper Dominis THEODRICVS adhaesit
 Regia magnanimi defendens iura PHILIPPI.
 Imperium sceptrumq; alij sua gaudia ducant:

Impe

Imperij sublimis caput partesq; tueri
 Casareas nouere Duces Misneidos ora.
 Ille tamen populis acceptus & integer annis
 Heu propera terras sublatus morte reliquit,
 Perfidia medici potans infecta veneno
 Pocula, cum viridi vix effloresceret auro.

Post hunc campus erat riguis circumfluis undis,
 Et campi in medio diffusis frondibus ilex,
 Cui folia alternis argento auroq; nitebant,
 Candidus argento cortex, argentea radix,
 Argentum ramis, argentea brachia ramis,
 Hanc circum niuis exercebantur in armis
 Formosa heroum soboles: pars arduus altis
 Puluerulentus equis iaculum contorquet & hastam,
 Pars leues clypeos, & spicula lucida vibrant,
 Et contra audentem cursuq; ictuq; lacessunt
 Intrepidi iuuenes: imatamen arbore crassos
 Quatendit ramos & brachia proxima terra
 Pendebant galea cristis auroq; superba,
 Scutaq; loricaq; & acuta cuspide enses,
 Corytiq; leues, cumq; illis lethifer arcus,
 Et praefixa suo nodosa hastilia ferro,
 Omnia MVNIFICI sortis monumenta beata
 HEINRICI, quem mirati stupuere priores
 Et ventura etiam quondam mirabitur aetas.
 Ille Ducum veterum nulli virtute secundus,

Par animo proavis, mansueto corde parenti,
 Sed maior fortuna, opibus coniunxit auitis
 Tyrigetum populos, titulisq; illustribus auxit
 CVNRADI genus & magni decora alta THIMO-
 Illi etiam ante alios argento atq; aere scaentes (NIS
 Sudeti montes plena mercede metalla
 Appulerant, Disq; ipse suas recluserat aedes.
 Non secus ac quondam (si fas conferre peritum
 Cum stolido ignauoq;) Phrygum memoratur in aruis
 In fuluum conuersa Midas quaetangeret aurum:
 Sic illi quacunq; viam monstrabat arundo,
 Qua fossor faciebat iter per viscera terrae
 Argentum larga saliebat fusile vena.
 Iamq; suo thalamos ALBERTO diuite luxu,
 Virginis eximiae thalamos Natæq; parabat
 Caesarea, sacrisq; Duces iam rite peractis
 Surgebant multo perfusi nectare Bacchi,
 Tunc genti heroum certamen equestribus armis
 Instituit, seu quis iaculo celerique sagitta
 Incedat melior, seu viribus usus & arte
 Ausit praelongo pugnam committere conto,
 Praemia certantum ante oculos illa ardua quercus
 Sistitur, argenti moles, & caetera iuxta
 Munera, vincenti pariter par terq; cadenti:
 Dat victo folium victorem ramus inumbrat
 Arboris auricomæ, letaq; in fronte quiescit.

Nec mori, spes sibi quisq; suas sua gaudia fingit
 Exulians animo, & latum procedit in equor
 Feruidus, auditur mistus clangore tubarum
 Ingeminans plausum sonitus, ferit aethera clamor
 Et strepitu ingenti circum nemus omne repletur.

Felix coniugio, felix & prole fuisset
 ALBERTVS, sua si, mores imitatus auitos,
 Virtute & casta tenuisset commoda vita.
 Sed multis fortuna datur, non omnibus uti
 Fortuna: Heu tædis generosa coniugis illic
 Pellicis indignos inconcessosq; Hymenæos
 Praefert, securus fama, nec pignora iusti
 Pulcræ thori, nec teste DEO rata fœdera curat,
 Illiciti nimium stimulis agitated amoris.
 Ipsa quidem, vitæ iam dudum incerta, puella
 Casarca exilio statuit vitare furorem
 Insidiasq; viri, & tacitis se credere claustris.
 Ad thalamos tamen ante redit notumq; cubile
 Sollicita, & caris postrema dat oscula Natis.
 Nox erat & placidam carpebant fusa quietem
 Corpora per terras dulci lenita sopore,
 Et ferme medio dimensus sidera lapsu
 Duxerat inuerso plastrum temone Bootes.
 Fidus adest digitoq; senex cautè ostia pulsat,
 Bisq; dua iuxta comites, quarum integra semper

Spectata & dubijs virtus præcognita rebus,
 Poscentes Dominam, si carpere nocte silenti
 Vellet iter, tutisq; fugam permittere tergis.
 Illa nec in somnos dimissa refouerat artus
 Imbelles, nec lentam oculis autpectore noctem
 Senserat: attentisq; simul vocem auribus hausit,
 Exilit, & paulum meditata, Quid? Ibimus ergo?
 Ibimus, & Mani (fatur) loca tua petemus?
 Sic, sic, ire iuuat: scalas apponite muro,
 Perte citi alipedes, date lora, impellite currum.
 Quem tamen infelix fugies? qua tecta relinques?
 Illustres generosa thoros regina, mariti
 Atria celsa Ducis pingues qui possidet agros
 Tyritum, paruosq; lares humilemq; subibis
 Virginei cellam claustrum, nil conscia mundi,
 Sola, gemens, comite ancilla non amplius una.
 Quin securamanes, viuissq; beatius æuum?
 Non sinit hoc Princeps alieno captus amore,
 Insidiasq; struit, solamq; asperrimus odit
 Hanc animam. At fors an meliores induet olim
 Sensus, & placido furias mutabit amore?
 „ Nulla fides pietasq; viris qui septa pudoris
 „ Transiliere semel, folijq; sacerrima lecti
 „ Iura parum violare putant: Sed parua nouerca
 Pignora formosos prodes iniuria fratres?
 Vos ego (maiorum cineres & lucida testor,

Sidera

Sidera, presentemq; DEV M) vos dulcia solos
 Pectora, tristis, egens, minimumq; invita relinquo.
 O mihi si liceat tam longam attingere vitam.
 Ut matura olim vobis cum venerit aetas
 Vos bello egregios & auorum fortia facta
 Sectantes videam galeam suspendere & arcum:
 Quam tunc leta meam penetrarent gaudia mentem?
 Nunc vos heu teneros matrisq; fidelibus orbos
 Auxilijs, quae cura feret, quae fata manebunt
 Patre sub immiti & rerum custode nouerca?
 Forsitan & pœnas illi per nostra luetis
 Aufugia, & nostro capiti quam debuit iram
 In vos dirus aget. Sed enim ter maxime cœli
 Arbitr, à cuius dependent omnia nutu,
 Quiq; oculis semper mortalia respicis aquis,
 Tu miserostutare DEV S, patrioq; favore
 Accipe desertos & opis caelestis egentes,
 Tu quoq; care socer, melior cui pectore virtus,
 Inclyte Mysorum Princeps THEODRICE, relictos
 Non patiere tuos, neu patris mollia corda
 Asuescant vitijs labemq; aspergine ducant,
 Ipse tuam pueros (scio) sanguine motus ad aulam
 Assumes, & si verum mens augurat, opto.
 Te duce in antiquam virtutem animosq; viriles
 Exurgant, primis & te mirentur ab annis,
 Sic ait, & lacrymis per mœsta fluentibus ora

Natorum ad lectos (illos sopor altus habebat)
 Inflexit caput, & paruos complexa lacertos
 Amborum, mollesq; genas, nunc oscula figit
 TITZMANNO, nunc crebra tibi FRIDERI-
 GE, tenetq;
 In vultu vultum, dicitq; nouissima verba.
 Utq; dedit caris lacrymas dedit oscula Natis
 Postremo FRIDERICI iterum prope fulcra recumbit
 Cernua, & affectu natura concita miro
 Admouet os ori, rursus, rursusq; tenello
 Admouet os ori, cumulansq; miserrima labris
 Basia, tandem arte malam comprehendit & haerens
 Insigni morsu cupidè, haud ignara dolorum,
 Dente cutem stringit, vulnusq; ut vidit amicum
 Hec, inquit, patris iniusti crudelia serua
 Munera, sed nostri monumentum & pignus amoris.

Et nunc hic FRIDERICVS is est, quem proxi-
 ma imago

Ostendit MORSU signatum & vulnere MALAM
 Istius exhaustos infracta mente labores
 Innumeros, quis rite canat, quis praelia fando
 Explicet & duri toties certamina Martis.
 Prima rudimenta & primos exegerat annos
 In castris THEODRICE tuis, dum iusta Boëmi
 Arma iuuas fera Sauromatum contra arma tyranni.

Nulla

NULLA LATERE DIV virtus & lumina possunt
 Accenso super alta rogo: Tua vivida certe
 Dextera, & ad belli quid posses strenuus artes
 Siue locum castris scrutari, siue profundas
 Moliri fossas & propugnacula castris,
 Seu totas opus ad pugnam convertere vires,
 Et conferre manum, atq; hostis turbare cohortes,
 Tunc patuit FRIDERICE, tuas Oenotria tellus
 Virtutes mirata, Ducem te lata poposcit
 Ausomasq; tibi voluit submittere gentes.

Non ita se Genitor, natis nam sede potitis
 Mysorum patrum felices invidet arces,
 Atq; nihil meritis dirum mouet undiq; bellum.
 Inde doli cadesq; hominum cadesq; secuta
 Semideum procerum: testis Sprea, testis & Albis
 Quot nati cecidere Ducum, quam multa sub undas
 Scuta virum galeasq; & fortia corpora voluit
 Sanguineis infectus aquis, dum Marchidos ora
 Hinc dominas, inde Ascania Dux gente profectus
 Compestis campos florentibus are cateruis.
 Vos quoq; venistis Romani splendida Reges
 Nomina Sueuorum turmis confisus ADOLPHE,
 Tuq; prius caeso Imperij qui sceptrum tenebat,
 Pannonijs inuictus equis ALBERTE, parenti
 Iniusto, dubium, vos auxiliaribus armis

E R I.

cumbis

ns

noris.

proxi-

M

i
nni.

Nulla

Præstantes, an pinguis agri prædiuite gleba
 Fortè, metallifera ductiue cupidine terræ:
 Sed quæcumq; fuit, uccors fuit illa, nec ipsis
 Causa tulit laudem vobis, nec gaudia nostris.
 Nec requiestis enim donec NASSENSE ministro
 Solennes ferro cecidit TITZMANNVS ad aras,
 Et populis vrbes vacuæ, cultoribus agri,
 Principe terra suo (facies tristissimarum rerum)
 Luxerunt gemitu nequicquam fata sequente.
 At non omnipotens tam sauo turbine ferri
 Vltorius, iugiq; malorum mole grauari
 Immeriti passus sortem Ducis, omnia tandem
 Rettulit in melius: sumtis nam vtribus hostes
 Aggreditur FRIDERICVS, vt olim montibus altis
 Delapsus torrens undis pluuiialibus auctus
 Per campos per prata ruit, secum obuia quæq;
 Arripiens, & nunc ingenti recta fragore
 Nunc validas quercus & saxa rotantia torquet:
 Aut veluti siccas zephyrus cum inuadit arenas
 Instabilis patulam differtur in aëra puluis,
 Et sua per gyros ducunt ludibria venti:
 Sic hostes FRIDERICVS agit, sic feruidus instat
 Hac atq; hac gladio, seq; ad diuortia cuncta
 Obicit, & pœnas inimica ex gente reposcit.
 Quam facile est fauore Deo sua damna minasq;
 Vlscisci turba successu cedis ouantis?

Nil

Nil fuerat Sueuo crudelius, oppida postquam
 Mysorum vi, fraude, dolo peruaserat: at iam
 Victores victi capiunt, fit fabula vulgo,
 Et probris teritur LUCANA CLADE SVEVVS.

Hinc alios quicumq; ausi Dalemincia rura
 Aut ferro quondam temerare, aut debita colla
 Deirectare iugo, felicibus obruit armis,
 Et spolijs sese praedag, opulentus opima
 Composuit placidè, lætaq; in pace quieuit.

DISCITE IUSTICIAM, nec vos aut purpura Reges
 Decipiat, lateq; patens in regna potestas,
 Aut afflictæ trahens dubio fortuna tumultu
 Res inopum iubeat pedibus calcare superbis:

CERNIT QUIPPE DEVS MORTALIA vindice
 Vlturus malefacta hominũ, longasq; repensat (dextra
 Pœnarum gravitate moras: At iusta tenaxq;
 Quamuis sepe graui nutat sub pondere virtus,
 Et varijs agitur ventorum obnoxia flabris,
 Emergit tamen, & TANDEM BONA CAUSSA
 TRIUMPHAT.

Filius ut, patrij generosus nominis haeres,
 Accepit FORTI terras à patre relictas,
 Nec pietate fuit nec belli laude parente
 Inferior, morum censor GRAVIS, hostibus ingens
 Terrarum tremor: at mansuetus cætera Princeps.
 Sensit atrax Gallus, glauci sensere Britanni

Quam non segnis erat, quam nullis territus armis,
 Ibat in aduersos viuento robore Francos:
 Senserunt Domino se stulto opponere nisi
 Duringi comites aüssi, cunei q; latronum
 Perfidiam celsæ tutantes mænibus arcis.
 Ergo admirati belli q; toga q; labores
 Constantes, veræ q; animum nil laudis egent em
 Imperij proceres, communi voce salutant
 Hunc Regem, solum q; putant qui Teutona fortè
 Gestet sceptrum manu, rebus q; labantibus assit.
 Et iam, portantes sceptrum regni q; coronam,
 Legati mandata DVCVMLATO ore ferebant:
 Aspice quam mihi promittunt omnia vultu
 Supplicibus q; rogant votis urgent q; rogando,
 Succedat solio, Romana q; regna capeßat:
 Ille sed auersa detorquens lumina fronte
 Inuidiosa fugit iam dudum insignia, nec tam
 Composito sermone magis precibus q; mouetur
 Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
 Maeste animo excelso Diuis q; simillime Princeps:
 Hoc adeo pulcrum est, magnos contemnere honores,
 Pulchrius, ingentes quam ferro acquirere terras.

Nominis eiusdem pingues FRIDERICVS in agros
 Fertur, & infidam toties toties q; rebellem
 STRENNVS (vltus suos) tormentis concutit urbem
 Tyrigea

Tyrigetum, flauus qua flumine stagnat Hieras.
 Heu quantum exitum miseris & dira manebant
 Fata domos (at tu pactis Erfurdia stares)
 Si non eratas acies fossamq; tremendam
 Ingressus Caesar medium se CAROLVS armis
 Misisset, iustam demulcens Principis iram.

QUARTVS ab ADMORSO titulis FRIDERI-
 CVS auorum

Ensiferum decus adiungens & iura creandi
 Caesaris, en gladium dextra tenet, inclycus armis
 BELLATOR, statuensq; altum de more trophaum
 Tertia suspendit generi monumenta THYMONIS.
 Pæne puer gelidos penetravit adusq; Borussos,
 Miluiam & grave Martis opus tua castra secutus
 CUNRADE, ut falsa sub religione tenentes
 Se populos, lucosq; Dijs & fana sacantes
 Futilibus vanos Diuum dediscere cultus
 Cogeret, & sacra Christi adum meliora piosq;
 Quo scelus eluerent antiquum, assumete ritus.
 Pæne puer Boios parui victricia signa
 Terruit antevolans, rezemq; tremiscere vidit
 Ardua turrigeræ dum cingit mænia Praga.
 At postquam firmata virum iam fecerat ætas
 Fulmen erat tonitruq;, adeo per densa rubeat
 Agmina terribilis, prosteruens omnia late

Nescius

Nescius ante manu lassatum ponere Martem
 Quàm sese hostili statuisset in aggere victor.
 Nec minus ad pacis perspectus idoneus artes,
 Cum terra fugerent animo trepidante Bœma
 Quasitum sedesq; novas & commoda Musa
 Hospitia, ipse humiles, dubioq; errore vagantes
 Accepit placidè, & tutas considerare iussit
 Ad ripas Philyrae tuas, ubi leta iuventus
 Aonias docta venerans cum Pallade Diuas
 Nunc agit, & cultis Sophie spaciatur in hortis.
 Gloria Principibus magna est defendere bella:
 Magna etiam patrijs tutari legibus vrbes
 Iusticia prohibente nefas: Sed gloria maior
 Luctantes fœna cum tempestate Camœnas
 Respicere, & tristem studijs arcere ruinam,
 Ingenuasq; choros iuuenum perducere ad artes.
 Vnde suis castis honor & reuerentia templis
 Permaneat, sintq; ore pio qui semina Verbi
 Cœlestis spargant, & Christo digna loquantur.
 Barbarieq; procul pulsa sapientia regnet
 Oppida per Regumq; domos, viuatq; perennis
 Fama Ducum, reddantq; vices & premia Musa.
 Nunc dolor & mesto sequitur perterrita luctu
 Infelix Mater, Natos dum flebile plorat
 Predonum abductos manibus: Sua pectora palmis
 Emittit generosa, & mollia brachia torquet,

Vnguis

Vnguis
 Quis
 Persi
 Vrbs
 Austr
 Semi
 Sera
 Dura
 Illic f
 Lauda
 Ad tu
 Ingen
 Non
 Frate
 Pacifi
 Turba
 Deuid
 Pacem
 Alloqu
 Vtrag
 Frate
 Effun
 Nond
 CAUF
 Illi ols

Vnguibus en fædat faciem, soluitq; capillos.
 Quis tibi tam dirum confidentissime magno
 Persuasit facinus, tanta aut furor egit in ausa?
 Vrbs antiqua iacet, Pleisæ contermina ripis,
 Austrasiæ veteris quondam caput, inclyta sedes
 Semideum procerum, postquam Misneius heros
 Sera tulit longi tandem solatia belli,
 Duraq; Lusatiæ pensavit damna Minoris.
 Illic fata suæ percensens plurima vitæ
 Laudata FRIDERICVS humo, patruiq; patrisq;
 Ad tumultum curas animi lenibat amaras
 Ingenio & vultu PLACIDVS, nisi bella vetabant.
 NON VOTI EST FATIQVE cadens sententia,
 fratri
 Frater namq; mouet bellum crudele VVilhelmus
 Pacifico, sæuitq; animis: tum cætera deinde
 Turba furit: Sed mox iniustæ penitet iræ
 Deuictum sermone pio plenoq; fauoris.
 Pacem igitur, stabilem pacem, per mutua querit
 Alloquia, & campis ultro progressus apertis
 Vtraq; inspectante acie complexibus heret
 Fraternalis: mox & rotis se iubila castris
 Effundunt, letisq; sonat clamoribus ær.
 Nondum pace tamen positusq; remissior armis
 CAUfungus cessatue dolis, versatue quietem.
 Illi olim pugna deiecto, & vincula collo

Gestant

Gestanti captius, avido quod solueret hosti
 Non dederat Princeps, penitusq; negauerat aurum.
 Ergo odys frendens, prauaq; cupidine turpi
 Vindieta, per Diuorum delubra, per aras,
 Per caput ipse suum solitus iurare, timendum
 Perg, DEI, haud impune vlli violabile nomen,
 Principis vlturum in proprio se corpore damna.
 Creditares paucis, & tantum ignaua minarum
 Visa diu facies: Sed enim sese improbat tandem
 Exeruit, scelerumq; fidem vesania fecit.
 Festo fortè die Philyres Fridericus ad urbem
 Venerat, huc illum patriæ pia cura vocabat:
 At thalami consortem & pignora dulcia lecti,
 Illustres animas, Veteri super Arce relinquens
 Quam primum ad caros reditum celerabat Amores.
 Hoc ubi Tartareis Alecto infecta venenis
 Presensit, subito Strygijs se suscitatis
 CAU fungi in mentem, cupidumq; & sponte paratum
 Admonet, ut facinus magnum, quod tarda loquatur.

Posteritas, socijs & sumtis audeat armis
 Dum tempus, dum fata sinant, & prouida pulchrè
 Absit cura Patris, nec seruet limina custos
 Debita, somnifero plenè madefactus Iaccho.
 Ille animi fidens, & iam furialibus aëtus
 Eumenidum stimulis, sub lenta crepuscula sese

Ante urbem portasq; locat, quem fœdera iuxta
 Impia pangentes pergunt Schonfeldnius accr.
 Et Mossenus equum dormitor, tacitisq; fauentes
 Auribus expectant caelo dum Virginis astrum
 Decedat, rutilos condatq; sub aequore vultus.
 Iamq; ferè medios nox egerat humida cursus
 Fessaq; per terras animalia cuncta soporem
 Spirabant, cum prima quies mortalibus agris
 Arvus alta tence, Divum gratissima dono.
 Tunc etiam casu (nec res ea recta latebat
 Prædones) vigilum passim diffusa iacebant
 Corpora, ut efflarent Bacchum quem larga dederunt
 Illo poela die & struētis convivia mensis.
 Qualia saepe solent Domini quando adibus absunt
 Liberiore domi Genio celebrare ministri.
 Tum vero tentant aditus qua proxima rupem
 Contingunt latera, ascensuq; facillima surgunt,
 Inuenta q; via scalis prærupta locorum
 Exuperant, gradibusq; abeunt, muroq; potiti
 Inuadunt arcem somno vinoq; sepulcram.
 Tectum augustum, ingens, pictis sublime columnis
 Arce fuit media, geminos ubi somnus habebat
 Regali in thalamo, FRIDERICO Principe natos,
 Spectata pueros forma, quis lactea cervix,
 Lactea frons, roseaq; gena, flaviq; capilli.
 Qualis Acidalia Matri perhibetur Adonis

Purpurea placuisse coma, Vel qualia paruis
 Corpora Cælitibus multo stellantibus auro
 Artifices addunt niueo saturata colore.
 Huc se prona tulit latronum audacia, & ipsos
 Arripuit pueros, nequicquam voce vocantes
 Sæpe patrem, nec adhuc titubantia lumina somno
 Planè attollentes: illi velut hostibus olim
 Ereptam inter se prædam duo corpora fratrum
 Partiti, paribus rellinquunt atria palmis:
 ERNESTVM Mossenus habet, spolij altera cessit
 CAUFUNGOPARS ALBERTVS: nec multa moratè
 Diuersis fugere vijs, ut noctis in umbra
 Sublustri ad dumis densas atq; ilice siluas
 Alipedum tuti tergo veherentur equorum,
 Et iam emersa mari pulsisq; aurora tenebris
 Reddiderat mundo lucem, cum in limine Mater
 More suo visura astat carissima Natos
 Pignora, nec thalamis illos nec iam inuenit usquam:
 Mox animum perculsa metu trepidoq; pauore,
 Me miseram, exclamat, quis vos mihi casus ademit?
 Et laniata comas cunctis penetralibus errat
 Interius, querulisq; replet clamoribus aedes,
 Quàm circum famulae gemitu pavidog; tumultu
 Omnia permiscent & femineo ululatu.
 Interea spacia emensus prælonga viarum
 In viridi Luco carpenda ad papula fessum

Dimitte

Dimittebat equum *CAV* fungu, Vbi obuius illi
 Improvisus adest senibus quidam obsitus annis,
 Furua viro facies, furui armi, lumina furua
 Vestis erat pannosa, illis qui plurima lustris
 Stipite sindebat succiso, atq; aggere ligna
 Instar pyramidum aut gaudentis acumine conū
 Arida componens, subiecto gnauiter igne
 Nigrantes patria carbones arte coquebat,
 Huic, solitas addens verbis non mollibus iras,
 Cornipedum mandabat equum puerumq; teneret
 Incolumem, donec nemorum spaciatus in umbris
 Aut radicum herbas secum aut siluestria poma
 Afferret stomacho solatia parua gementi.
 Quis curæ neget esse *DEO* Regumq; salutem
 Imperijq; Duces? Vaccinia nigra legebat
 Ille, dolo exultans, & humi nascentia fraga:
 At puer illustris casum fratrisq; suumq;
 Custodi enumerat, tacitasq; ita fatur ad aures:
 Quisquis es, haud equidem (credo) sine numine *Diuum*
 Venisti, & lucis habitas lignator opacis:
 Me si fata meis paterentur ducere vitam
 Auspicij, celsa ingrederer sublimis in aula
 Saxonici soboles Ducis inclyta, nunc mihi dirus
 Fortunam eripuit prædo, furatus ab alta
 Me specula Patri ignaro & nil tale putanti.
 Si potes, aut istis quicquam confidis in armis,

D

Eri-

mno

m

cessie
morati

ater

quam:

ademit?

ltis

Dimit-

Eripe me his miserate malis, & redde parenti
 Fide senex: ne te officio certasse priorem
 Pœniteat: quin pro factore premiatali
 Magna manent: primum ipse meus pulcerrima soluet
 Munificis Genitor donis: ego cætera deinde
 Ampla dabo, meriti tanti non in memor unquam.
 Sic memorat, vocemq; premit: simul ipse reuersus
 Asper adest, strepituq; pedum CAUFUNGUS oberrat.
 Iamq; propinquabat selle, frenumq; tenebat
 Bellatoris equi, in Pucro cum lumina voluens
 Rusticus, immotis oculis spectabat, & ora
 Nunc mirabatur, nunc ore cadentia verba.
 Parua mora est, manibus secum quam forte gerebat
 Nodosam toto connixus corpore clauam
 Eleuat, & tergum prædonis terq; quaterq;
 Aggreditur, geminatq; ictus caua tempora circum,
 Clamoremq; altè tollit, quo concita silvis
 Turba operosa latens, lignisq; intenta secandis
 Accurrit: Capitur prædo calcaribus herens
 Implicitus, dignaq; luit mercede laborem
 Impia carnificis submitteus colla securi,
 ALBERTVSq; puer plausu comitatus ouante
 Ducitur, & festa velantur fronde per vrbes
 Atria, letificisq; sonant clangoribus arua:
 Cara sed imprimis cumulat sua gaudia Mater,
 Grataq; pro Natis suspendit dona receptis.

Hic ALBERTVS erat, manibus date lilia
plenis,

Quem grauia afflicto pro Cesare bella gerentem
Mirati stupuere Hunni, Rex ipse reliquiis
Obstupuit CORVINUS agris, solumq; mereri
MAGNANIMI nomen tam forti pectore dixit,
Ille etiam Gallis terror gentiq; superba
Belgarum, inuicta titulum virtute ROLANDI
Obtinuit sternens Phrysijs Flandrosq; rebelles,
DEXTERAq; Imperij MANVS audijt impi-
ger armis

Quod rem Germanam magno turbante tumultu
Sisteret, & placida ciues in pace teneret
Felix o nimium felix Germania tali
Principe: iò date thura Duces, date manibus aram.
At si fortè malo terrarum sidere quondam
Prædonum manibus primis periisset in annis.
Heu quanto decore & quantis orbata fuisses
Præsidijs? Salue æternum fortissime Princeps
Æternumq; vale: Nos hæc tibi vota merenti
Soluimus, at nullo tua laus reticbitur æuo.

Extremo nunc orbe subit, manibusq; repellens
Aurum ingens, oculis Henricus fertur amans,
Alberto Genitore satus: Non ardua virtus
Illi, non duris exercita defuit armis
Vis animi: Pietate tamen veraq; reliquit

D 2

Post

Post se religionem patres, felicior illis
 Quod Latij detecta lupi furta improba vidit,
 Agnovitq; DEI Verbum, sinceraq; sacra
 Mente pia firmaq; fide complexus amavit,
 Et documenta dedit, quanti Romana putaret
 Numina & in breuibus conscripta indulta tabellis,
 Quae simul ad fundum cecidit crepitanteq; peluim
 Percussit sonitu nummus, supera alta beatam
 Aspirare animam & caelum contingere iurant.
 Manibus ille tuis populo gratissimus omni
 Fribergae exiguo placide contentus agebat:
 Sed frater terras lautasq; Georgius vrbes
 Sub diticne tenens, ut regni scepra paterni
 Sic fidei errorem antiquum cultusq; sacrorum
 Ausonios veteri cupidus servabat honore.
 Huic soboles misero fuerat quaecunq; virilis
 Occiderat fato, viridiq; extincta iuventa
 Ante patrem canos mærenti afflixerat annos,
 Henr. cotantas meliori numine sedes
 Relinquens, si sacra tamen Romana probare
 Vellet, & Italia rursus se credere scitis.
 Iamq; oratores aderant & iura ferebant
 Talibus exorsi verbis: Myse inclyte gentis
 Dux, genus egregium Alberti & certissima proles,
 Funere Natorum fatisq; Georgius actus
 Tristibus, ut curis animum colliserit atris

Vidi.

Vidisti, & fratris miseratus saepe dolorem es:
 Nunc ille extremis defectus Viribus ager
 Vix animam trahit, & media iam in morte natantes
 Attollens oculos tua nos ad limina misit:
 Terram omnem, cultasq; urbes gazamq; potentem
 Dat tibi, & in tota quicquid regione fouebat:
 Hoc autem iubet, ut ritus, inuenta q; nuper
 Leucorea in cathedra, seculoq; ignota priori
 Dogmata deuigans, in religione parentum
 Permaneas, Latiq; patris sub iura reuersus
 Pristina missisica permittas orgia turbae.
 Tu fratris succede bonis non degener haeres
 Et puleris pare monitis: Sunt pondera facti
 Infectiq; auri, sunt illi mille talenta
 Argentiq; ærisq;: Tuam ne despice sortem.
 Haecenus hæc, vnoq; simul cuncti ore fremebant.
 Illis subridens extemplo ita reddidit heros:
 Quæ vox ista viri vestro nunc excidit ore
 Persimilis Satanae est, qui cum de montibus altis
 Immensas monstrasset opes, regna omnia mundi,
 Vniginae Patris Nato, qui sidera torquet,
 Hæc, inquit, tibi cuncta dabo, si poplite flexo
 Procumbens precibus nostrum venerabile numen:
 Quæ vobis, quæ tanta Viri dementia surgit?
 Men^o istas pereuntis opes & friuola mundi
 Gaudia caelesti stultum præponere Verbo?

illis,
 im

les,

Vidi-

*Me nummis pietatem aureis, animaeq; salutem
 Delicijs mutare vllis? Nec munera sperno
 Quae tribuente DEO debentur & ordine fati.
 Ante tamen, quam me pietatis proderet cultum
 Agnitae ex animo dimittere dogmata verbi
 Aetherei Sol hic videat, vel terra dehiscat
 Ima mihi, vel quae auriq; argentiq; talenta
 Dicitis, uno eodemq; igni consumpta liquefiant.
 Hoc potius reor: Hac fratri mandata referte.*

*Talia maiorum Mycale praesignia gesta
 Pinxerat & molli telas discreuerat auro,
 Quae postquam aspexit propius Pater Albis, In illis
 Cur, inquit, mea Nata autem nec nomina cerno
 MAURICII, nec facta Ducis? qui Marte togaq;
 Quippe fuit fortis, ne cuiquam laude secundus:
 Tunc MYcale: Ne me Genitor nescire putaris
 Mauricij decus eximium, Sed maxima, sed quis
 Argumenta, graues turmas, partosq; triumphos,
 Pannoniasq; truces, Mahometigenumq; tyrannos,
 Et quanta est toto bellax Germania tractu,
 Caesareasq; aquilas, deiectosq; Alpibus hostes,
 Gallorumq; fugas, & quae non vox capit, ipso
 Nomina magna sono, quis parua intexere tela
 Ausit, & ingenio tantas committere laudes
 Mens etiam meminisse horret, luētūq; nouantur*

Vulnera

Vulnera cum subit illis tristissima cladis
 Infelixq; dies, quando Peinensibus aruis
 Pro patria roscum fudit fortemq; cruorem.
 Heu virtus, heu dulce decus, laudatq; bello
 Dextera: Non illi quisquam se impune minorum
 Praferet arma gerens: Manet, eternamq; manebit
 Fama Ducis, nec tanta aliquando obliuia rerum
 Mentibus accedent hominum: prius ipse solutus
 Coruet in nihilum magnus compagibus orbis
 MAVricij nomen quam postera nesciat aetas.

Finierat, positusq; ad frontem cornibus Albis
 Ibat ut AVGVSTI perferret ad atria dona.

Interea DRYMO reliquas affata puellas,
 Nos quoq; minus ait, lato debemus amore:
 Munus ut infanti Domino properemus honorum,
 Testemurq; animi gratantia gaudia, mecum
 Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mouent Superos, votis placatur Olympus,
 Vota homini castaq; preces fortissima turris
 Seu grauis exurgens tempestatum ingruit imber,
 Et pavidas tangit mentes asperrima laesi
 Dextra DEI, seu lata bonis successibus aras
 Explicat, & niueo tendens fortuna volatu

D *

Spem

*Spem fouet, & tristi soluit formidine terras
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.*

*Dicite: Summe DEVM, cui sunt mortalia cura,
Qui populis donasq; Duces, stabiliq; salute
Firmas fata Ducum, paruisq; & egentibus addis
Aligeros pueris cœtus, gentem ætheris alti,
Quorum membra manu tutò gestata pusilla
Nec metuant pedis offensi damna vlla, nec hostis
Tartarei fœdo afflatu penetrabile virus
Ore exhalantis fraudem experientur amaram:
Summe Deum, pulcrum Augusto defende Nepotem,
Et vita dignum ac sero venientibus annis,
Seruantemq; Patris Christi de nomine nomen
Angelici tutare chori munimine: Tuq;
Alma parens tellus: & tu circumfluis æer,
Vrentes prohibete minas, & noxia membris
Flamina, ne qua Duci noceat grauis aura tenello,
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.*

*Vota mea castasq; preces iterate Sorores.
Ipsa, bonas sano retinet quæ in corpore vires,
Funestosq; abigit morbos Hygiea, salubres
Exquirens herbas, custos fidissima curis
Aspiciat, semperq; nouo se germine florum
Exhilarans reparet pulso languore vigorem,*

*Aut dulcis succo Ambrosia, nardoq; beata,
Aut ruta folijs, & odorifera Panacea.*

Dicite, iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mea castasq; preces iterate Sorores.

Vt flos in cultu speciosus nascitur horto,

Sedula quem liquidis enutrit Hamadryas undis,

Aut olitur curas adhibens & debita plantæ

Munia, nunc puro findit discrimine sulcos,

Nunc tenues irrorat aquas, ferroq; bicorni

Pectit humum gnarus, sterilesq; exterminat herbas,

Incumbitq; operi placito, gaudetq; labore,

Cetera permittens Divis Soliq; tepenti:

Ille nec arrosus pecori, nec laesus aratro

Puberibus caulem folus & flore comantem

Extendit, mollesq; sinus diffusus inumbrat,

Aspectuq; homines delectat, odore colonum:

Sic Matri iucunda Puer, sic gaudia dulci

Transmittens Avia, vegeto se corpore letus

Proferat, à teneris sic germinet aureus annis.

Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mea castasq; preces iterate Sorores.

Qualis ad herbosas undarum consita ripas

Assurgit platanusve ingens, aut ardua quercus,

Quam neq; ventorum violento turbine flabra

Conuellunt, nec tristis hyems, sed mole sua stat

D S

Immo-

Immota, & fortes ramos ac brachia late
 Extendens parulam prebet venientibus umbram:
 Subter eam vario florum vestita colore
 Pulcra renidet humus circumflagentibus herbis
 Vndiq; Paeonijs, at ramis arboris alta
 Nidificant volucres, & docto gutture carmen
 Expediunt, mulcentq; vagis concentibus auras:
 Talis & in patria succrescat commoda quondam
 Illustris Puer, & tali se vertice tollat
 Supra homines supraq; feras, nil robora curet
 Nil fremitus astusq; virum contendere contra
 Si qui forte valent, Superi sed fretus amore
 Regis inoffensa perducatur tempora vite,
 Cuius indulgens umbram, nidosq; canoris
 Alicitibus Musisq; sacris, inde optima tellus
 Culta suos flores calathisq; virentia canis
 Lilia, purpureasq; rosas, suauesq; hyacinthos
 Fundat, & Assyrium vulgo nascatur amomum.
 Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mea castasq; preces iterate Sorores.
 Et nunc incipe parue puer cognoscere risu
 Affectus Matris teneros, Auiq; fauenti
 Sidereis blandire oculis: nunc ista: sed olim
 Heroum laudes & auorum clara tuorum
 Nomina cum poteris scire, & quid viuida Virtus

Rebus

Rebus in humanis valeat, vestigia tanta
 Obserua atq; animum fama compone futura.
 Præcipue tamen ante oculos exempla tuorum
 Cotidiana videns, virtutum Patris Auiq;
 Esto memor, seruaq; tenax imitator honorem.
 Utq; Auius Augusti mensuram nominis implet,
 Et Pater à Christi quod traxit nomine nomen
 Comprobat, accensum diuino pectus amore
 Vsq; gerens: sic care puer te finge, piaq;
 Illorum, ut vultum, virtutes exprime cura.
 Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mea castasq; preces iterate Sorores.
 Interea det fata DEVS tibi mollia fata
 Formosi Genitor Pueri, tua floreat ætas
 Integra & au gescant iuuenili in corpore vires
 Ut quoties patriæ labor cariue parentis
 Exposcit pietas, socium te adiungere regno
 Intrepitus possis, & fulgeat æmula virtus.
 Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mea castasq; preces iterate Sorores.
 Fortunate, tibi sese ventura reseruant
 Secula, & incipiunt læti procedere Soles
 Prole noua, pluresq; adeo tibi Numina spondent
 Fœcundi fetus thalami, quos candida spectet
 Posteritas rerum Dominos terræq; potentes.

Sal-

Salve flos generose Ducum, salve inclyte Princeps
 Edite Regibus, & Reges geniture Ducesq;
 Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mea castasq; preces iterate Sorores
 Tu quoq; fortunate, Dijsq; accepte benignis
 Imperij tutela ingens Auguste, decusq;
 Teutonia procerum: Quam te nativus & alto
 Corde ruens prætentat amor, cum parva Nepotis
 Membra manu prendens, oculos roseo in iycis ori,
 Agnoscisq; tuam sobolem, gaudesq; tuendo,
 Sic equidem voluebam animo, votisq; precabar
 Suspirans tacitè, nec me sperata fefellit
 Sors rerum, aut Euri gemitus rapuere Notiç.
 Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mea castasq; preces iterate Sorores.
 Ecce tibi mecum populi gratantur, & vrbes,
 Ecce amnes, lymphæq;, & rauca voce susurrant
 Littora, leticiamq; suo testantur honore
 Plus solito aureolis curuantes brachia pomis
 Arborea frondes, & consita iugera Baccho
 Lenæum larga mittentes vite liquorem.
 Ipse etiam, quamuis autumno cesserit æstas,
 Frigoris oblitus zephyris spirantibus aër
 Lenis adhuc tepet, & mites superingerit auras

Utilis humanis conatibus, utilis agris.
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mea castasq; preces iterate Sorores,
Gaude heros dilectè DEO, nunc munere Diuum
Et Nati felix pietate & amore Nepotis,
Gaude iterum, & quanquam magni tibi regia cæli
Dudum lata patet, terris tamen optime, terris
Vive, diu teq; auxilio ne subtrahere nostro.
Dicite iò castasq; preces & vota Sorores.

Vota mea castasq; preces iterate Sorores,
Te Duce nec seuos metuunt armenta leones,
Nec rabidos pavidæ agna lupos, tu regna Ducesq;
Concilias, pacemq; ferens cum legibus Orbi
Imperio ciues latrones ense cœrces.
Per te stant firmata fide, seq; oppida recto
Iure tenent, partisq; opibus secura fruuntur
Astræa comitante: Tuo sub tegmine tuto
Rusticus arua colens terram proscindit aratro,
Spemq; anni Cererem longis componit aceruis,
Et fetas emulget oves, passimq; per agros
Ambulat & media transit de nocte viator.
At pietas, & vera, una qua sidera adimus,
Religio per te plenis dominatur habenis,
Liberatq; exultans nec fraudum Dedala texta,

Aut

*Auribus Caci furias, infidaue sacra
 Allobrogum admittit: Tu curas maximè Princeps
 Ut tristes cessent rixæ, & sincera docentium
 Cincta olea viridante comas Concordia regnet.
 Salvificamq; fidem purgataq; dogmata fucò,
 Consilio fretus non laua mentis, & ipso
 Teste animo, seros iterum transmittis in annos
 Venturosq; iubes rectè sperare nepotes,
 Salve magne Pater patria: Tibi præmia laudum
 Nunquam digna satis persoluerit vlla nec ætas
 Nec populus: Viuet memori tua gloria fama
 Donec erit cælum, donec sua sidera cælo,
 Dum fluuij latices & habebunt flumina ripas.*

*Talia cantabat Drymo, & se læta ferebat
 Naiä dum permixta choro: tum protinus illi
 Assensus plausere curæ, plausere fluentia
 Albis, & aërij mouere cacumina montes.*

F I N I S.





DE ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI,
DOMINI
CHRISTIANI II.

Ducis Saxoniae Electoris & Burggrauij
Magdeburgensis, &c. Suscepta Electoratus &
ditionum paternarum hæreditaria
gubernatione.

GRATVLATIO II.



*Virginis à partu iam secula lapsa
bis octo*

*Atq; unum fermè Titan compleuerat annum,
Albidos ad ripam tunc, MEISÆ ubi suscipit undam
Commisssas pascebat oues, hædosq; tenellos,
Pastor Acon, decimo quondam quem Naiās ortu
Cymodoce enixa est, & Pulsidos abluit amne,
Valle Topambæa iussitq; quiescere paruum.
Ille suas sequitur dum per decliua montis
Pabula balantes, & paulo longius errat,
Cantantem audiuit celsis sub rupibus Albim.*

Fas

Fas audire fuit, sit fas audita referre.

*Est locus, Arctoum quæ spectat Misna Booten,
Aspera Zadeli contra iuga consita Baccho,
NICOLEI Pontem Vulgus vocat: ipse ibi lentè
Dispersit, vallemq; solo CHELEBOSCUS in imo
Angustam facit: at mediam, sine murmure vallem
Diuidit & paruo pertransit IANULUS aluèo.
Hic specus ad laeuam est exesi montis in antro
Ilicibus nigris & molli gramine cinctus:
Desuper impendent rupes, siue arte cauata,
Seu natura dedit, præruptaq; saxa, tumultu
Deturbata, illa sic consedere ruina:
Quicquid id est, patulis extendunt brachia ramis,
Vndiq; & umbroso condensant tegmine siluam
Arboræ frondes, prohibentq; tepescere sole:
Intus opaca domus tenui submotâ recessu,
Pumice multicauo passim muscoq; virenti
Strata iacet, media præbetq; cubilia Nymphis
Grata die. Huc sese prope nunc æstate peracta
Cum Sol Herculei permensus terga Leonis
Erigonem peteret, summusq; altissimus orbe
Torreret rapidis subiecta vaporibus arua,
Detulerat, latebrasq; Albis querebat in æstu.
Humanum indutus formam, vultusq; viriles:
Glaucia illi facies, glauci artus, lumina glauca,
At caput, & crassa pendens lanugine barba*

Velle

Velleris in morem niuci radiabat, & usq;
Flumineum moto stillabat vertice rorem.

Hunc iuxta solito stabant ex ordine Nympha
Naiades, Dryadesq; simul, facilesq; Napææ,
Et quæ præterea silvas ac flumina laudant,
Atq; hortos Pomona colens & amæna vireta,
Gens quoq; Hamadryadum pratis assuetarigandis,
Quæq; iuga & montes sectantur Oreades altos.

Ille igitur postquam se sub conuexa recepit
Spelunca, sensitq; novos sub pectore motus,
Ad circumstantes conuersus voce Sorores,
Ergo, ait, illa dies, votis quam sæpe petiui,
Illa erit ergo dies longè gratissima, iamq;
Adueniens cubat ante fores, qua certa propago
Semideum Heroum ditionis regna paterna
Suscipiet, placitusq; suas accedet ad Vrbes (cune
Dux AVGVSTIades, quem CHRISTI à Nomine di-
Fallor? an egreditur formosæ mænia Dresdæ,
Et sonipes tergo acceptum vehit arduus, inq;
Cristarum spiris multo fulgentibus auro
Spectandum Vulgo lætis obtutibus offert.
Sic equidem: At pontem cur iam transgressus & Alta
Thrazenis paruo fultam munimine fossam
Ad dextram diuertit iter? Sic ergo iubebant
Hayna prius? Sed enim prudenti talia magnus
Consilio instituit princeps: Vult marginæ terræ

E

Circum-

Circumferre pedem, & primò lustrare quid ora
 Lusatios Mysosq; inter: quà Saxona tellus,
 Ascania quà porriciant sua iugera villa
 Tyrigetumq; solum pingui quid fertile gleba
 Expediat: quale Austrasijs sit pignus in aruis:
 Quae spes Voctorum in terra: quid deniq; praestent
 Sudetum argenti iuga concelebrata metallo.
 Sed iam rursus adest: iterum iam moenia Dresdae
 Reliquit: Venit (ecce) venit stipatus ouante
 Nobilium turma procerum, camposq; parentes
 Exuperans, & vitiferi tempe humida Spari
 Ad nostrae portas intendit lumina Misnae.
 Ipse alto sublimis equo supereminet omnes,
 Cyaneam inductus chlamidem, faciemq; coruscat.
 Talis erat quondam gressuq; habituq; decorus,
 Sic (reminiscor enim) vultumq; oculosq; gerebat,
 Et crines flavos, robustaq; membra iuuenta
 Ille meus, viridi cum iam pubesceret auro,
 Et virtute sua magnus VVITECHINDVS & armis.
 Sed tunc in tenebris omnes, sine lumine Verbi
 Aetherei, sine spe vitae aeternaeq; salutis
 Degebant, cum Demonibus simulacra colentes
 Saxones Albiaci, quosq; alluit amne Visurgis
 Se tumido extollens, & latis Luppia ripis.
 Nec tamen ut reliquae gentes, quas deuius error
 Transuersas rapuit quondam (Babylonia rognat

Et Chaldaea cohors, totoq; Oriente iuventus
 Edita, & Aethiopum soboles, pubesq; Pelasga,
 Ausonijq; Patres, & cetera nomina mundi
 Vel vita functos iustis Heroas in armis
 Pro patria, inuentas aut qui meruere per artes
 Mortali officio decora immortalia fama,
 Vel Luna Solisq; globos, & lucida caeli
 Sidera, sed tantum (pudet heu tam stulta fateri)
 Immanes truncos, informe & inutile lignum,
 Pro Ioue, proq; Dys, & frigida saxa colebant.
 Sape quis arboreis ponens radicibus aram
 Vota illis & thura dabat, lachrymabilis orans
 Vt patriam, caramq; domum, tenerosq; nepotes,
 Coniugijq; fidem vellent, famulosq; tueri.
 Sape illis vetus, & trifido iam fulmine taeta,
 Flamme mota leui terrebat pectora quercus.
 Horrida quinetiam, Stygijsq; simillima monstris,
 Nomina adorabant caecatis mentibus acti,
 FLINNVMq;, CRODVm q;, eruce pede squamea per-
 Calcantem terga, & toruis obtutibus HAMAM, (ca
 Quemq; ATRVM dixere, malo quod lumine terras
 Aspiceret, SEBAMq; Deam, quia seua noceret
 Frugibus & pecori, sacro neglecta remisso:
 Atq; ipsum tandem TIBELINVM, ex aethere pulsum
 Tartarei Platonis avum, qui primus in Orbem
 Perfidus, anguinea latitans sub pelle Draconis,

Morbosq; insidiasq; omnes, cædesq; nefandas
 Intulit, & misera subiecit flebile morti
 Humanum genus, & curis immerisit amaris.
 Talis erat tunc Relligio cultusq; sacrorum
 Saxonie populis, Tali se laude vehebant.

Talis avis atavisq; potens veniebat ad aras
 SIGHARTVS, uanusq; nouos cumulabat honores
 Idolis, cum BERTHARII succederet ausis,
 Et contra Francum primo bella aspera gentem
 Dirigeret, mox pro Francis pressisq; Thuringis
 Vandala Saxonico concideret agmina ferro,
 Decrepitos vitam extendens longæuis in annos.
 Bis sex imperij lustris iam penè peractis.

Filius ut scepro sic Relligione paterna
 Implicitus, proauita lubens THEODRICVS adibat
 Idolia, obductosq; alta caligine lucos,
 Tetraq; priscorum veneratus monstra Deorum
 Sæpe domum sera tandem se nocte ferebat:
 Nec poterat, quanquam castris exutus & ense
 MARTELLO ter magnificos ducente triumphos,
 Ad sacra Christiadum melioraq; numina verti.
 Tantum pondus habet semel ima mente recepta
 Vana superstitione pietatis sublita fuco.

Non minus antiqui cultus seruauit amorem
 PIPINI toties pugnaci à milite victus (in arma:
 BERTHOLDO cum fratre ruens EDELHARDVS

Nec

Nec requieuit enim donec Sitinensibus agris
Corruit, & terram moriens semel ore momordit.

Tertius at fratrum pugnas & bella perosus,
Commotusq; tot ærumnis & clade suorum,
Et fera deuitans dubij certamina Martis
Tranquillis studijs se VVERNECCHINVS agebat.

Prouidus ille quidem: Sed non ita Patris ad instar
Se Nati tenere duo, Tu maxime BRUNO,
Tuq; choro illustri felix VVITECHINDE nepotum.
Ergo iterum fremitus hominum stragesq; secuta,
Tristitiaq; excidia, & cunctis incendia campis.

Ipsè manu rapiens nodosi roboris hastam
Saxonicas passim VVITECHINDVS circuit vrbes,
Vosq; ait, ô ciues sic libertatis auitæ
Sacrorumq; estis memores? Vbi viuida virtus,
Ingentesq; animi, bellatricesq; disacæ?

Scilicet hæc tantis Maiorum gratia factis,
Hic adeo referetur honos nunc manibus istis
Martia qui quondam pugnando vulnera passi
Dulces profudere animas, & sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo: Nec iam pudet eheu,
Iussa aliena pati, & Dominos admittere Francos?
O scelus, ô nullis probrum delebile seclis,

Non sic HERMINIVS, salus qui Saxona iura
QVINTILIVM contra obtinuit, Romanaq; signa.
Et quota Romanis accedunt portio Franci?

E ;

Tali-

Talibus atq; alijs accendit pectora dictis.
 Protinus arma fremunt omnes, arma arma frequentes
 Et libertatem VVITECHINDO vindice clamant.
 Nec non Francigenas in praelia CAROLVS urget,
 Adverso in campo sistens præfulgidus ipse
 Aeratas acies peditum per mille cohortes,
 Innumerasq; equitum turmas Ductore ROLANDO.
 Bis terq; est toto certatum corpore Regni,
 Bis terq; excussis ceciderunt Saxones armis,
 Et tamen imperfecta hæsit victoria Franco
 Vsq; manu VVITECHINDE tua, seseq; revoluens
 Inde, ad ter decimum vestigia rettulit annum.
 Tunc magnæ stimulis agitatus CAROLVS ira,
 Atq; tot exhaustos noctesq; diesq; labores
 In cassum sine fruge videns, Quò tendimus, inquit,
 Parcendo? Cur ingratis veniam hostibus vterò
 Obtulimus? Sic, alme DEVS, Pater unice rerum,
 Sic me CHRISTE iuues hominum Sator atq; Redem-
 Non equidem posthac tanto repetita furorè (tot,
 Nostra finam nimias det vt indulgentia vires.
 Eruere est animus totam cum stipite gentem
 Periuram, & nullis stantem per fœdera pactis,
 Quandoquidem victi toties absistere ferro
 Nec possunt, nec quippe volunt: Age, in arma ruamus
 Extrema, & populo finem celeremus iniquo.
 Nec mora, pugnaci complentur milite castra,

Mili-

Milite scutigero complentur claustra viarum,
 Fraxineæq; altis quatiuntur in urbibus hastæ,
 Et passim in campis ferro præfixus acuto
 Contus, & horrifico motatur lancea risu,
 Telorumq; seges micat aspera: qualis in aruis
 Flaua Ceres primas culmorum versat aristas,
 Limosæ solo procera exultat arundo.
 Hinc iam laxatus Mauors effertur habenis
 Et lumina per, siluasq; omnes, & prata lacusq;
 Saxonia, miserisq; modis trahit obuia letho
 Corpora, per fontes liquidos, per rura, per Vrbes.
 Sicut ubi angusti delapsus ab obice montis
 Spumeus aut torrens, magna vi pulsus aquarum,
 Aut ingens rupta moles de nube reuulsa
 Subiectam in vallem descendit, plana q; terra
 Omnia deuastat latè loca, & undiq; pestem
 Hortis ac villis cultisq; noualibus infert:
 Sic in Saxonicum tandem se CAROLVS hostem
 Exonerat, pœnamq; atrocibus exigit armis.
 O quoties largo rubuerunt sanguine fosse
 Ostualidùm, quoties rapido citus amne Visurgis
 Purpurea defluxit aqua, celeberrq; ruinis
 Lappia, & infirmis decurrens fluctibus Oera,
 Alarag; & campis Thitimallis nobilis Asa,
 Vnde ASNABVRGVM veteres dixere coloni

E +

Hengo.

HENGESTI atq; HORSTI patriam, & luculentus
Iambra.

Et tot Martigenum maculatus cade Vaharna;
Ipse ego (nunquid enim non dicam vera?) recordor
Quadrupedumq; virumq; intorto vortice volui
Corpora per ripas, & peruicina videre
Iugera, & in fuscum mutatum saepe colorem
Interiora mei sub tegmina fluminis ire.

Tum vero audaci VVITECHINDO ferrea cessit
Illa animi virtus, caepitq; ferocia tandem
Ponere corda, DEO rebus tranquilla parante
Saxonicis: Et iam fatis melioribus usus
BRVNO frater erat, magni mandata secutus
Caesaris, aspersusq; vnda de fonte salubri
Mutaret veteres sacro Baptismate ritus.
Nec tamen abiecto fugiebat protinus ense,
Aut pacem supplex miseranda voce rogabat,
Sed prius occulta si posset fraude cohortes
Caesaris & valido seruatas milite portas
Exuperare, ipsumq; adeo contingere Regem,
Noctes atq; dies miro ardescebat amore.

Vrbs antiqua, suis neq; nunc ingloria muris,
VVolmerstetta iacet, contermina pinguibus aruis
Parthenopes, & Praesulibus gratissima sedes:
Huc se pannoso VVITECHINDVS agebat amictu
Omnia mendico similis, pileumq;, pedumq;.

Impe-

Impexamq̄ comam, & lacera ludibria palla,
 Festo lata die positis tunc CAROLVS armis
 Et niveum CHRISTI reducis celebrabat honorem,
 Quo pro gente hominum crudelia vulnera, & ipsum
 Supplicium crucis immani de robore passum,
 Tertia lux superas rediuium misit in auras.
 Tunc inter miseros augusti ad limina templi,
 sic tamen, ut quæcunq̄ ageret, de more Sacerdos
 Explorare oculis, animumq̄ advertere posset,
 Constitit, & tacitè per singula circumspexit.
 Iamq̄ sacris Mystes solenni lege peractis
 Conciperent castasq̄ preces & vota monebat,
 Cum subito VVITECHINDI ante ora simillima Di-
 offertur species, mentem qua prima nouatam (uis
 Impulit, & prisca errorum formidine soluit.
 Namq̄ videbatur passim per labra precantum
 Serosus Puer, & cælesti luce coruscus
 Inferre, & teneris complecti colla lacertis,
 Et blandè arridens iterata per oscula cunctis
 Leticiam ac vultus clarum diffundere lumen.
 Obstupuit viso insolito, manibusq̄ leuatis
 Vota precesq̄ inter sacra discessit ab æde
 Ambiguas versans generoso in pectore curas,
 Multaq̄ se incusans, qui non meliora secutus
 Dudum consilia ad partes accesserit ipse,
 Cæsareas, & Christiadam suscepit ultrò

Diuturnum sana cum Religione timorem.

*Talia dum secum reputat, mentemq; reuolvens
In diuersa, animum nunc huc nunc diuidit illuc,
Et toties miseros in aperta pericula ciues
Detrusos, toties proiecta cadauera campis
Cogitat, & tanto lucis truncisq; litatum
Sanguine Saxonico, nec adhuc finem esse malorum,
Ecce aliud se præterea coramine pulcro
Obijcit ostentum, & fluitantia pectora mulcet.*

*Nox erat, & verso plaustrum terrene Bootes
Ad Solis ducebat equos, terrasq; per omnes
Alta quies homines, pecudesq;, ferasq; tenebat, (tuis
Alituumq; genus, VVITECHINDVS & ipse per ar-
Traxerat ingentem lassatus membra soporem.
Cum Pater in somnis ad picta cubilia Natæ
Aut stetit, aut visus stare est, paulumq; moratus
His VVERNICHINVS tandem ora resolvere di-
O vita mihi Nate prior, dum vita manebat, (Etis.
Nate tot aduersis bellorum exercite fatis,
Huc sensus oculosq; tuos, huc dirige vultum,
Meq; vide: En ego sum, facie tibi notus amica,
Qua nimio quondam studio in fera bella ruentem
Ne tam crudeli velles contendere Marte
Commonui: atq; utinam tibi mens non leua fuisset.
Nunc Patris ætherei, nutu qui sidera torquet,
Mandato adænio, ut tandem prohibere furorcm*

Te iubeam, & seris quondam ventura sub annis
 Edoceam, ac genus omne tuum, & tibi debita Regna,
 Utq; solum cum linquentum est, atq; omnia Mundi
 Ad superas penetrare domos & cœlica mecum
 Tecta queas: Nec enim tenebrosa Tartara valle
 Me retinent, Strygiaq; palus inamabilis unda,
 Sulphureiue lacus, aut tetri mœnia Ditis:
 Sed bona pax, mollisq; quies, & amœna piorum
 Concilia, in cultis omnes ubi degimus hortis
 Felices animæ, tunc cœli ad limen ituræ
 Corporibus rursus proprijs & carne resumpta
 Cum suprema dies peruerso illuxerit Orbi,
 Huc me non FLINNVS, nec falso creditus HAMAS
 Esse Deus, sed cœlorum miseratus ab axe
 Transtulit ille Puer vasti cui machina Mundi
 Subdita tota iacet, tibi se qui sponte videndum
 Obtulit, & precibus iucundas præbuit aures,
 Ergo age, Nate, Deos falsos cultuq; sacrerum
 Insanos relinque lubens, recotosq; capesse.
 Sat patria patrijsq; datum est erroribus at nunc
 Irarum depone minas: Si Numina vana
 Dextraq; & scutis & acuta cuspide ferri
 Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
 Quin potius te accinge nouo iam lætus honori
 Conuersusq; animum, lotusq; salubribus undis
 Consilijs pare, tibi quæ pulcerrima pandes,

Caro-

CAROLVS, & lectos iuuenes fortesq; propinquos
 Ad CHRISTI nunquam periturum defer ouile.
 Frater in exemplo tibi sit tuus, optima quem nunc
 Dona manent, sed multò olim maiora manebunt.
 In Nati virtute & summa laude nepotum,
 Aspice LVDOLPHVM quàm floreat integer annis,
 Et sub Patris adhuc pietatis flagret amore
 Auspicys, qui mox pro Relligione fidcq;
 Christiadùm duras inuadet milite gentes
 Danorum, victorq; & onustus diuite præda
 Arma domum referet, titulisq; illustribus auctus
 MAGNVS SAXONIÆ DVX omnibus audiet annis.

Filius hinc (tibi fabor enim, qua sede receptus
 Aetherea ventura scio, tectasq; recludens
 Posteritatis opes fatorum arcana mouebo)
 DANCMARVS cum fratre ruens BRVNONE per-
 Intrepidus, cædet rursus crudelia Danùm (hostes
 Agmina, & infesta concurret cominus hasta.
 Ipse sed (heu) cumulo tumidarum mersus aquarum
 Occumbet, cano ponens sub gurgite vitam.
 Ante tamen duplicem coniungens nomine VVigam
 Vrber magnanimam statuet, genus vnde minorum
 Brunsvigos claro producet nomine Patres

Ast OTHO, postremus iuuenum, tua tertia proles
 LVDOLPHE, egregijs ausis animoq; virili
 Et fratres omnes post se, patremq; relinquet

Ille

Ille iterum Danos arcebit, limitis hostes
 Saxonici, placidaq; suos in pace remittet:
 Et parte ex alia Vilzos & Vandala pellet
 Subsidia ex rapto Dalemincia rura tenentes:
 Inter & Imperij proceres dominabitur vnus
 Consilijs dextraq; bonus, nec inutilis Auctor
 Seu dare ius populis opus, aut indicere bellum.
 Sed tamen oblatos studij conamine magno
 Imperij fasces diuina respuet arte.
 Pulcrum equidem Regum solio sceptrisq; potiri,
 At retinere manum, & tantos contemnere honores,
 Hoc opus, hac digna est excelso principe virtus.

Sed non HEINRICVS parili se iure tueri
 Filius, aut rerum poterit conuvertere molem,
 Motibus in dubijs cum tristi urgente tumultu
 Accederent quibus alma parens Germania cordi,
 Utq; sacram accipiat vultu arridente coronam,
 Et trabeam, sceptrumq; Eois nobile gemmis,
 Armillasq; auro rutilas, insignia Regni,
 Hastamq; & gladium, instabunt precibusq; minisq;
 Ergo quicquid habet nunc diuine CAROLVS aula,
 Quicquid & in tanto bellax Germania tractu
 Ipsius sub iura ibit: trahet ille Suenum
 Sub iuga, Boiemosq; Duces, Bauari mg; superbum,
 Slauorumq; domans herulos excindet Hauellos,
 Atq; Obetritarum populis, Danog; feroci,

Pacis

Pacis componet leges, victosq; iubebit
 Christiadium amplecti cum Relligione salutem.
 Hinc sese in dirostetis iam viribus Hunnos
 Converteret, Scythica rabie & feritate lupina
 Omnia vastantes miserè, quos fortibus armis
 Contusos, omni Germanidos exiget ora,
 Et penitus fœda extinguet vestigia gentis,
 Teutonia in gremio fixa infelicibus ausis
 Hactenus, & patrio statuet de more trophaum.
 Inde novos non ante unquam sub Mœnalis Urse
 Sidere conspectos priscis, certamen equestre
 Instituet ludos Latij Trotaminis instar,
 Et pulcris acuet placitis, vigor unde vetusta
 Nobilitatis, honosq; & gloria duret in auum.

Ordine vos illi tres succedetis OTHONES
 Illustrès stabilesq; animi, genus aetheris alti:
 Tuq; prior, pietate ingens, ingentior armis,
 Quem graua Imperij pro maiestate gerentem
 Bella, tot infidasq; immanni fraude tuorum
 Expertum techas MAGNUM cognomine dicent.
 Tu probitate tua confisus & indole miti
 Comis & humanus, non ulli iniurius unquam
 Existes, nec praua malis quandoq; rependes,
 Sed bona saepe malis, Nec praelia Martis inibis
 Nondum placato cœlorum numine Regis
 Cum lacrymis fuis precibus manibusq; supinis.

O quo-

O quoties medio in campo subq̄, aethere nudo
 Bellatoris equi de tergo sponte ruentem
 In genua, & posita cum cristis casside caelo
 Tendentem palmas miles spectabit in armis
 Horridus, attonitoq̄, Ducem mirabitur ore.
 Ergo nec iratos metues improvidus hostes
 Nec cedes signisue truci gladijsue tyranni,
 Omnia sed contra validis vibrata laertis
 Spicula, & infesto praefixa hastilia ferro
 Auxilio fretus caelesti interritus ibis,
 Victor ubiq̄, ferens spolia undiq̄, & undiq̄, praedam:
 Unde DEO passim pro tanto gratius honore
 Debita suspendes renouabis munera templis.
 Te zeuchi malefida cohors, te sentiet Hunnus
 Ulurus patres & campis trita Scelenis
 Agmina, terq̄, fidem fallens & foedera Slaus.
 Tu generum Gallis Germano milite Regem
 Restitues, Italosq̄, tuo sub iure tenebis
 Hetruscosq̄, amnes, & Thusci fluminis arua:
 Imperijq̄, iugo submittes omnia late
 Balhsco ab Oceano ad siculi maris usq̄, paludes.
 Nec minor in Nato virtus, & gloria belli
 Tum pietatis erit: Nam sceptri Regna paterni
 Consilio & iustis defendet fortiter armis.
 Et plura adiungens depulsis sede Pelasgis
 Ultra etiam fines a Magno Patre relictos

Profe-

O quo-

Proferet Imperium, terrasq; tenebit opimas
 Istria ubi Adriacis Venetorum tunditur undis
 Tergestumq; habitant & Pola tecta Liburni,
 Inq; sua exultat montanus Dalmata Scodra.
 In Mahometicolas autem cursu impete turmas,
 Quos Sarracenos falsa sub imagine fingunt,
 Sic ruet, ut quondam volitans Balearica plumbum
 Funda iacit, vel fulnus, aper cum saeuus in ira
 Fulmineo rotat ore canes: aut qualis in aquor
 Quà data porta furens violento turbine Corus
 Ingenti vastum permiscet murmure pontum,
 Et fluctus hinc inde vomit, tumidusq; procellis
 Precipites ad saxa rates & littora torquet.
 Manabit Calabrium fuso tunc sanguine tellus,
 Ipsi manabunt caesorum sanguine riui,
 Sanguine tingetur pelagi quoq; portus, & inde,
 Nil nisi blanda suis perspectus gratia, Caesar
 SARRACENORVM MORS PALLIDA nomen
 habebit.

Tertius, Argolico quem Regum stemmate Mater
 Edita producet, titulis nil cedet auorum,
 Seu pietate velis, seu forti pectore laudem.
 Ille iterum Slauos dirarum extrema minantes,
 Luticiosq; feros, renouantesq; agmina Danos
 Compescet, retrahetq; manu populante Bohemos.
 Hinc Italis frena inijciet, conamine magno

Ter

Ter superans celsis equatas nubibus Alpes,
 Et Capitolini mulctabit Consul is ausus
 Con digna q̄, premens Crescenti morte furorem
 Romuleam certis componet legibus urbem.
 Hic vir hic est qui magna tuis Germania rebus
 Consul et seros olim transmittet in annos
 Imperij decus, ut nullus, nisi Teutonis ora
 Quem genuit procerum, fortiq̄, à Teutone lectus,
 Casaream cidarim sceptriq̄, insignia gestet.
 Vnde etiam donec Germania, prospera donec
 Imperium stabit cum Maiestate verenda,
 Semper honos nomenq̄, eius laudesq̄, manebunt
 Longa inconcussa per secula, grataq̄, quondam
 Dicet posteritas, hic sunt MIRACULI MUNDI.
 Felix, ô nimium felix, si fœdera tantum
 Posset Aragoniæ thalamo differre puella.

Tu quoq̄ BRUNONIS de stirpe anima inclyta
 fama,

AVCV PIS HEINRICI pronepos HEINRICE,
 Romanos fasces augustaq̄, nomina Cesar. (capesses
 Et quanquam insignis bellator in aspera tendes
 Prælia contra Henetos, contra armigerosq̄, Polonos,
 Per Latiumq̄, feres victricia signa, Tifernus
 Quâ fluit & veteres Italiis qui terminat agros
 Cæruleus Rubicon, Tybrisq̄, & Tybrides Arnus

F

Frc

Frater, & Hesperidum Eridanus regnator aquarum:
 Religionem tamen nihil indefessus habebis
 Altius, & templis properante labore refectis,
 Sacrorum cultum eximia meditabere cura
 Præbere, alliciens verbis vultuq; sereno
 Et promissorum cumulo ad pietatis amorem
 Mortales: quin tot factis crudelibus Hunnos
 Hactenus infames, & dira cede rubentes,
 Milcigenosq; feros, crucis ad venerabile signum
 Constitues, nouus unde tuis honor auspice CHRISTO
 Accedet titulis, SANCTVSq; vocabere vulgo,
 Sine quibus à victis imponi gentibus olim
 Nomina præclarum fuerit, pietate mereri
 Et vita innocua famam, SANCTVMq; vocari,
 Iudice me laus est omni antefercenda triumpho.

Hæc de fratre satis. Nunc quæ tibi fata tuisq;
 (Si tamen errorum nebula tenebrisq; relictis
 Malueris meliora sequi vestigia lucis)
 Promittant, animum dictis aduerte, docebo.
 Nec iam lutoribus multum distantia nostris
 Littora commemoro, terras felicis Idumæ,
 Et Ierichuntis opes lignis ubi balsama sudant,
 Atq; ipsam Solymorum urbem, celebrataq; partem
 Virgineo & vatū priscorum carmine Bethles
 Mania: nec doctis Graiorum habitata colonis

Arua, aut Aemoniae portas & Thesala sempe.
 VVIGBERTVS quibus iste tuus venientibus annis
 Producet Reges numerosa stirpe nepotum:
 Non etiam Allobrogum populos Alpinaq; dico
 Praesidia, & celsis praelustres montibus arces
 Impositas, quibus ille Duces generabit honoros:
 Totaq; Gallorum longè pulcerrima Regna
 Praetereo, nunc magnamino benè subdita rerum
 Induperatori, qui te tot CAROLVS hostem
 Prosequitur pugnis decima ter messe peracta,
 Illa equidem ventura tuo de sanguine proles,
 Et VVitechindae generosus stemmatis Heros
 Septimus, HVGONIS noscendus voce CAPETI
 Acquiret, quondamq; throno residebit in alto
 Francigenum, populosq; suo sub iure tenebit
 Quos Rhodanus velox, latisq; Druentia ripis,
 Isaraq; & placidis Araris praterfluit undis
 Dividit, Alpiniq; vehens è montibus amnem
 Sequana cum Lygeri per pingua culta volutus
 In mare fundit aquas: atq; hinc praerupta Pyrene
 Inde Alpes sublime latus Tyrrhenaq; claudunt
 Littora, Masiliumpq; salum, sed caetera Rhenus,
 Belgaq; & Oceanus finit Germanicus arua.
 Hic septingentos ultra dominabitur annos
 Et natis natorum, & qui nascentur ab illis
 Tradet sceptrum manu sanguis tuus, inuida quamvis

Sape per insidias conficta q̄ crimina turba
Inuoluet technas atq̄ artes mille nocendi.

Hac autem nunc flecte oculos, hanc aspice gentem
Progeniemq̄ tuam, tibi quam TIAGRINVS amanda
Posteritate dabit patriæ telluris in orbe.
Hic tibi Burggrauos, comites hic Marchidos ora,
Budsecciq̄, & Landsbergi, Dominosq̄ VVetini
Et Brenæ Iulæq̄, vides: hic monte Perrino
Pendentes galeas, fœcundæ Sorbaq̄, Beccæ,
Et Chamî castrum, Veterisq̄ cacumina pyrgi:
Hæc tunc ardua erunt, nunc sunt sine nomine terra.

Ipsæ tibi primæ spondet præconia palmæ
TITMARVS: Viden ut geminae stant vertice cristæ?
Hic Daleminciadum Slauos, Sorabumq̄ retundet
Insultus, Sorabisq̄ pares qui Pannona saxum
Depotant Scythici contagia germinis Hunnos:
Idem CAROLIDE CVNRADI vimq̄, minasq̄
Insigni eludet cunctis mirantibus astu,
Et fatum HEINRICI rerum discrimine summo
AVCVPIS auertet, tutaq̄ in sede locabit
Omnia, terribili nuper vicina ruina:
Rhedariosq̄ nouis turbantes Saxona rura
Ausibus æterna confringet clade, fidemq̄
Restituet: donec consummis viribus æui

Insta-

Instabilis, senio macilentus, pallidus, aeger,
 Et laudis vitæq; satur mundiq; dolosi
 Finiet humanos tranquilla morte labores.

Filius hinc rerum accipiet THEODRICVS habe-
 Munificus, magnosq; viris qui sacra propagent (NAS
 Dogmata, & ad meliora vocent ignobile vulgus,
 Ignauasq; animas diuini lumine Verbi
 Illustrent, vitæq; acuant cælestis amore,
 Constituet census, templisq; augebit honorem.
 Hoc etiam tandem felix sub Principe tellus
 Quæ iugase in zecchos Sudetum mitia tollunt
 Vallensis ponet seruata vocabula menthe
 Hactenus, & veteri sublato nomine, porro
 Pro Daleminciaca consuescet Misnica dici.

At D E D O ingentes animos & fortia bello
 Pectora per gladios per mille pericula lethi
 Ostendet, consanguineo pro Casare quando
 Educet portis turmas, & milite denso
 Transcendens fossas liquidi pellucida sueui
 Hexapolis quæ stringit agros aqua, lubrica Nissa
 Flumina arenosa calcabit condita ripa,
 Ad Poberam donec, vulgo quem castora quidam
 Indigitant, Lechi populum gentemq; fugaric
 Sauromatûm. Hic etiam ditiori rura paterna

Adyiciet, quæ Salam inter Salzamq; lutosam
Iugera protendunt, quæq; alluit amne vadoso
Vippera, & exiguo contentus villerarius.

Nec minus illustri titulos augebit honore (mis)
Nomen aut referens THEODRICVS, maximus ar-
Appenninigenam fractis tum cornibus Arnum
Contundet Casar, perfusaq; sanguine tinget
Flumina Medoaci campo bellator aperto.
Pro quibus officijs confecto præmia Marte
Casar pulcra dabit patruelis mania Iule,
Et circumpositas ad Mylda duplicis arces
Littora, Landsbergiq; decus, quo Marchio terra
Audiet inuictis Princeps iustissimus armis.

Nunc tibi quid memorem serie tot pignora nostra
Continua Dominos rerum Misneidos ora?
Et quæ Tyrigetum nascuntur pinguibus aruis:
Quas THIMO, CUNRADVSq; OTTOq;, AL-
BERTVSq; tenebunt
MYSORUM in regione, THEODRICVSq;, sed inde
HEINRICVS laudi robustos addet avitæ
Tyrigetæ: quem si vellet pietatis amore
ALBERTVS rectis imitari passibus olim
O qualis quantusq; foret: Sed enim inclyte cuncta
ADMORSA FRIDERICE GENA virtute fideq;

In melius referes, tibi nec cognominis unquam
 STRENNVS & GRAVIS indignus Natusq;
 Neposq;

Patre & Auo, magnisue minor perhibebitur orsis.
 Quartus at, eiusdem FRIDERICVS nominis, inter
 Eximios proceres numerabitur, ardua quis tunc
 Imperij cura incumbet, votumq; creandi
 Caesaris: Ensisferumq; decus relinquet eodem
 Nomine praestanti Nato, placidusq; quiescet.

Nunc autem egregium se sanguine scindit ab uno
 Conspicuumq; genus, quod nulla redarguet aetas,
 ERNESTVS fratri ALBERTO coniunctus,
 uterq;

Magnanimus, vera exemplum virtutis uterq;
 Hos adumant eo iunget Concordia nexu
 Mente bona sensuq; pares: Sed viuida proles
 Felices, nullo moriturâ tempore famâ,
 (Sic placitum Superis caelestibus) exiget annos.
 Cum SAPIENS FRIDERICE animo maturus &
 euo

Purganda à tetrīs Monachorum sordibus olim
 Religionis op⁹ CHRISITO duce & auspice CHRISTO
 Suscipies, fraterq; tuis conamine pulcro
 IOHANNES, mihi semper placidissimus ore,
 Accedet studijs, & CONFESSORIS honore

Nobilis, ad Natum nostra decora incluta gentis
 Deuoluet, quem CONSTANTEM non inuida ama-
 Posteritas, patris & patruī de nomine dictum: (b. e.
 Tuq̄, PIA ALBERTI soboles HEINRICH
 parentis,

Et Nati (tua cura) duo, MAVORTIVS alter,
 Alter ab AVGVSTO ducturus nomen & omen
 Ausonio, summis descendens dogmata pura
 Viribus, à Latio iam libera dogmata fuco.

Fortunae anima, quibus illo tempore nasci
 Contigerit, castaq̄ fide mysteria caeli
 Percipere, aeternaq̄ viam obseruare salutis.
 Aurea tunc verè nascentur secula Mundo,
 Aurea cum nostris VVITEBERGÆ in finibus orta
 Religio, passu niuco, & plaudentibus alis,
 Percurret totam terræ Germanidos oram,
 Inde q̄, nil metuens insani murmura Ponti,
 Ad Piētos Scotosq̄ feret, glaucosq̄ Britannos
 Sancta salutiferi de CHRISTO semina verbi:
 Et Danis Gottisq̄, & clausis æquore Suedis
 Boddiaco, populisq̄ Arcto quibus ara sub ipsa est,
 Quiq̄, Vlam Dunamq̄ bibunt, Naruaq̄, liquorem,
 Et vitrei Disna, gelidiq̄ Borystenis undas,
 Ad caelos monstrabit iter, sedesq̄ beatas
 Nullus ubi rerum perturbat gaudia casus,

Nec

Nec dolor ante fores aut pallida perstat erinnys,
 Sed mollis iugisq; quies, & amena viuenta
 Undiq; regnate nent, & amorum plena voluptas,
 Conspēctusq; DEI durus, de vertice cuius
 Vita fluit cum læticia ceu fonte perenni.

Ergo age dulce meum caput, ô carissime Fili,
 Fortunam ne sperne tuam, neu prodigus esto
 Aeterni immensiq; boni, veraq; salutis:
 Sed, mortis memor usq;, tuis bene console rebus,
 Et CHRISTO fer ritè preces: ante omnia Patrem
 Supplicibus placat votis qui regnat Olympo:
 Hinc iter ad Magni Francorum suscipe Regis
 Limina, & amplexus genuum curuamina, totum
 Imperio illius placido te subijce vultu,
 Delictisq; ora veniam, supplexq; precare
 Admitti sacris niuei Baptismatis undis
 Teq; tuosq; omnes: Erit, eia, erit utile vinci
 Et CHRISTO seruire Deo post Numina vana,
 Iamq; vale: Lux alma polo diuerberat umbras
 Hesperium dum libra suas decliuis ad orbem
 Conuertit chelas, properatq; sub equore tingi,
 Et matutinos Pallantias appetit ortus.

Hæc sibi per longè narrari somnia noctis (bric
 Postquam visus erat VVITECHINDVS, tectæ tene-

Nec

F S

Nox

Nox abiit, somnusq; illum cum nocte reliquit.
 Nec mora, se stratis astutum proripit altis,
 Multa putans secum, quid tanto cardine rerum
 Visa velint, quæ tanta parent exordia fata.
 Et primum fidas uxoris fatur ad aures
 Nocturnis monitis cari Genitoris Imago
 Quid tulerit, quæ deinde animo sententia surgat.
 Mox consanguineum, quo ceu fidebat Achate,
 ALBRONEM accersens, verbis ita lenibus infit.

ALBRO mihi ante alios merito carissime fratres,
 Arcani pars tua mei, testisq; laborum
 Hactenus: en nostris quæ sit fortuna videmus
 Auxilijs, toties auri certamina Martis
 Experti, toties in sæua pericula missi
 Pro patria cultisq; sacra formidine Diuis
 Inuicta cum gente sumus: nil viuuda virtus
 Nil valida potuere manus iuncta q; phalanges.
 Dixi equidem, vasti testatus sidera cæli,
 Aethereamq; domum superum, Regemq; coronam,
 Vt sceptrum hoc, postquam semel à radice recisum est,
 Non folijs unquam densata fronde virescet,
 Nec gratas pecori dabit aut pastoribus umbras,
 Sic nostro veteres mansuros tempore ritus
 Quos Patres habuere, & quos adiecimus ipsi:
 Nunc aliud mihi mens agit, seu Numen Olympi

Arde.

Ardorem hunc acuit, siue est miseratio cordis
 Molliti: nec enim tot fusa cadavera campis
 Amplius, & semper tumulos ante orare recentis
 Fas siccis perferre oculis: Si Numina Divi sunt
 Quae nostri timuere Patres, quibus undiq; lucos
 Et nemora, in templisq; suas sacra iunxerunt aris,
 Cur ita cultoresq; suos populumq; relinquunt?
 Praeterea me sancta mouent mandata parentis
 Hacque nocte dedit, melioraq; iussit adire
 Christi adum scita, & puri Baptismatis undam.
 Tu, si quam ulterius sumtis spem ponis in armis,
 Quam sit nulla vides: tum caetera cuncta ruina
 Qua iaceant, sunt ante oculos (dolor) omnia nostros.
 Ergo iter ad Magnum (nec enim fecisse pigebit)
 Francigenum Ductorem una celeremus, & ipsam
 Oremus pacem, veniamq; rogemus ab ipso:
 Hoc pietas iubet, hoc cari mandata Parentis,
 Huic placeat tandem, si qua est, succumbere culpa.

Dixerat. Ille refert: Equidem mihi pectore cura
 Fixa eadem dudum ante fuit, cum funera fusi
 Nostrorum toties, & eundem sanguine riuos
 Vidimus, & campos spaciosos ossibus albos:
 Iam tunc (pace tua) de re statuisset tuorum
 Et vellem, & fuerat melius: Sed tale verebar
 Haud quicquam de te, quem nil nisi bella tonantem

Audie-

Audieram, & strictis diros mucronibus enses,
 Loricasq̄, hastasq̄, graues, & missile telum.
 Nunc quando melior mentem sententia vertit,
 Et Patris admonitu pacem sinceramq̄, maui
 Consilia & CHRISTO sacros addiscere ritus,
 Eia age rumpe moras, & dum nouus incidat ardor,
 Iquò fata vocant, sociumq̄, adiungere faustis
 ALBRONEM rebus nullo dubitaueris ausu:
 Quicquid erit, casus ego te complectar in omnes,
 Te sequar & tua facta lubens: modo maximus orbis
 Conditor ille DEVS (quem quo sit honore colendus
 Non dum scimus, at exigui post lapsa sciemus
 Tempora de cursu) felicia capta secundet.

Haec ubi dicta, pedes aptant calcaribus ambo,
 Accelerantq̄, viam, & VVITECHINDVM coniuge
 GEVA,

ALBRONEM magna iuuenum comitante caterua
 Perueniunt ad castra loci, qui voce vetusta
 ATTIANACUS habet nomen, trans nubila Rheni
 Flumina, paciferosq̄, manu pallentis oliuae
 Præhendunt ramos, aditumq̄, ad regia poscunt
 Limina, securos stipante satellite gressus.
 Quò postquam admissi, VVITECHINDVS ita
 ora resoluit.

Optime Francigenum Ductor, cui fortibus armis

Rex

Rex superum tribuit gentes frenare superbas:
 Non equidem extimui, rigidus quod saxo, quod hostis
 Et de stirpe forem qui tertia secula vobis
 Crudeles gladios multo cum sanguine vibrant,
 Quodq; ipse, ad libitum violato federe, tecum
 Bellum importunum per terna decennia gessi,
 At vultus intrare tuos: Fecisse fatemur,
 Quicquid id omne fuit, pro religionis amore,
 Pro patria, patrijsq; Dijs, arisq; facisq;:
 Nec factura modum fuerant qua sumimus arma,
 Si non ipse animum rutilis qui praesidet astris
 Mutasset DEVS, & mentem ad maiora vocasset.
 Tu quoy, quod placido acceptas moderamine victos,
 Et tua commissis facilis veniaq; parata est,
 Nec sese irarum patitur clementia caeco
 Turbine conuelli, sed nullis territa damnis
 Latius extendit vires, & lege sua stat,
 Magnum pondus habet, nosq; ad tua limina ducit.
 Adsumus en, fideiq; ultro submittimus omnes
 Imperioq; tuo nos nostraq;: Maxime Caesar
 Da dignas votis aures, & porrige dextram,
 Da qui nos vera dociles pietate magistros
 Instituant, sacroq; parent de fonte lavacrum,
 Non erimus Regno indecores, nec gratia fasti
 Pendula talis erit: sunt nobis vitia periculis
 Pectora, sunt animi quos excitet amula virtus.

Dixit:

dor,

s,
orbis
usbo,
oniuge

rua

s ita

mis

Rex

Dixit: At obtutu vario defixa tenebant
 Lumina Francigenæ, nunc ipsum Saxona vultu
 Mirati intrepido, nunc ore cadentia verba.
 Quidam etiam strepitu ac vesano murmure prænam
 Vrgere, & longi censere examina belli:
 Mox ubi placatis animis tumida ora quierunt.
 CAROLVS effari solio sic cœpit ab alto:
 O misere gentes, nimiumq; immersa tenebris
 Pectora Saxonidum: Quis vos malus impulit error?
 Que tam aduersa truci fortuna atq; inuida bello
 Hactenus implicuit, nos ut fugeretur amicos?
 Nunc pacem oratis, cum desolauimus agros,
 Cum villas magnasq; Vrbes absumsimus igne,
 Et late in campis horrenda incendia fumant,
 Et ciues ferro ceciderunt, sanguine magni
 Fluxerunt amnes, & adhuc à cœde cruentus
 Stillat ager, tinctoq; rubet et torrente Vaharna:
 Quanto erat utilius fremitum cohibere furoris
 Prodere nec fidos in aperta pericula ciues,
 Dum res incolumes starent, & plena iuuentus
 Letis floureret studiis operata, nec orbi
 Aut Patres Natus aut nati patribus essent.
 Verum quæ fuerit rerum fortuna sinamus,
 Nobis iam dudum Regis cœlistis ad instar
 Parcere subiectis certum est, & ignoscere fas.
 Pro pietate armis certauimus, arma recepta

Iam pietate licet deponere: Nam mihi nullum
 Saxone cum populo restat post diruta bellum
 Idola, & magni plantata rosaria CHRISTI.
 Vos modo spem nostrā, (quod tu prohibe optime IESU)
 Promissa immemores fidei ne fallite, neue
 Ad vanos iterum conuertite lumina cultus,
 Sed magis huic vni fortes incumbite cura
 (Quod potius reor, & potius pia Numina firmeni)
 Vt sanctum inter vos sincero dogmate crescat
 Religionis opus, seruentq; ea sacra nepotes.

Sic ait, & dextram poscenti porrigit, inq;
 Astantem sese Augusto diffundit honore
 Arduus, ambrosiumq; oculis aspirat odorem.
 Iamq; salutiferi ponuntur fluminis undæ
 Marmoreo in labro, procerum spectante corona,
 Et, nudata, Pater, laticumq; aspersa liquore
 Corpora dum niueo vestit velamine, LULLVS,
 Ipse VVITECHINDVM Caesar, sed Regia GE-
 Coniunx è sacro redeuntes excipit alueo, (VAM
 Amplexuq; fouent molli, & gratantur eundo.
 Tum vero ingenti complentur Regia plausu
 Atria, & immisto cumulantur gaudia cantu,
 Letificisq; sonat liquidus clangoribus Aether.

Hæc Idolorum finis per Saxona terram:

Hæc tandem eripuit tenebrosi faucibus Orci
 Mortigenam Sobolem, quæ CHRISTVM exinde fate-
 Secula iam, lapsis annorum mensibus, octo. (cur

Nunc ad te Princeps redeo generose, Ducum flos
 CHRISTI adæ, antiquo VVITECHINDI stem-
 mate gentem

Qui trahis, & veterum, haud ulli cessurus auorum,
 Natiua renouas Heroum in imagine vultus,
 Vt te, terrarum Dominum, columenq; futurum
 Teutonia, & marum rebus nutantibus olim,
 Agnosco intueorq; lubens, Vt pectore toto
 Accipio, solidaq; fruor dulcedine. Sed iam
 Ingredere, & Regni tibi debita iura capesse:
 Ingredere ô, placidusq; veni, nec gaudia differ.
 Hoc equidem voluebam animo, tacitusq; precabar,
 Cum vix vitales hausisses luminis auras,
 Et tua adhuc cunis agerentur membra tenellis:
 Tunc ego sic mecum: Puer, ô puer optime, cresce,
 Cresce Puer formose, tibi se læta reseruant
 Tempora, & auspicijs condit felicibus annos
 Omnipotens: pro te cælestia Numina supplex
 Ipse ego compellans vota & suspiria fundam.
 Nunc vota: at cum firma Virum te fecerit ætas,
 Et patrijs quondam succedes sedibus hæres,
 O quoties ego te leni per nostra fluenta

Exci-

Excipiam dorso, tutumq; in litore sistam,
 Siue velis positas in ripa cominus Vrbes
 Visere, & interdum genio indulgere benigno,
 Seu nemus allubeat COLCHVM penetrare, leuesq;
 (Delicias artesq; tuas) configere ceruos,
 Ceruos, & capreas, & aduncis dentibus apros.
 Sic ego tunc votis, nunc voci conscia magni
 Paruula dora fero, & nullo munuscula cultu,
 Alma sinu tepido tellus quas educat herbas
 Vt nostras decorat ripas, & grata quotannis,
 Vbere lata suo, humanos emittit in usus.
 Nec temere tamen & nullo discrimine vulsas
 A radice dabo, sed quae sub tegmine sensum
 Inuoluant studij, & rerum mysteria signent

Laudata est quondam Graijs quoq; Vatibus herba,
 Moly vocant superi, quo nomine dicta colonis
 Nondum scire licet, nigra radice tenetur
 Hispida & informis, sed flore notabilis albo est.
 Hanc olim fertur sumtis Cyllenius abis
 Dulichio monstrasse Duci, cum pocula Circes
 Mutassent socios, ut sani germinis usu
 Innocuus, nec aper fieret, Tygrisue vel ursus
 Aut leo, raptorumue vlularet more leporum,
 Scrigeriue gregis saltem pars una maneret:

G

Hanc

Exci-

Hanc cape, ut insidias & tecta pericula possis
 Vitare, & dubijs tutus consistere rebus,
 Si fors vlla ferat: Sunt multa pericula semper
 Insidiaq; bonis Ducibus fraudesq; paratae,
 Seu patriæ leges, seu sancta urgenda tenaci
 Relligione Fides: Sed enim si prouida cautio
 Principis assistat solio cura, indiga pena
 Abscedet Furia, & vincet PRVDENTIA fraudem.

Nec minus inuidia multi torquentur amara,
 Et soror inuidiæ scelerata calumnia Martem
 Aduocat, horrendoq; iubet decernere ferro:
 Tunc quoq; FORTI opus est animo, quem nulla fati-
 Fulmina, nulla minus ventorum territet ira: (Gene
 Hic ubi te pietate prius castisq; decenter
 Mumeris precibus sacras proiectus ad aras,
 Hos palmæ ramos & Origanon accipe ramis
 Implicitum, validaq; ad pectus comprime dextra
 Nam vires animo dat Origanon, utile cordi
 Impavidosq; facit, sed vinci nescia palma est.

Vilis & aspectu nullius adesse videtur
 Euphrosyne precij, vixq; obijcienda catellis:
 Sed tamen & virtus & tanta potentia planta est,
 Vt placidos vultus, & frontis amabile lumen

Consti-

Constituat facilesq; precum solamina, nutus.
 Hanc tibi, si quicquam, cura commendo fideli,
 O patriæ nostrumq; decus, tibi dedico totam.
 Hanc lateri sociam esse iube, camposq; per omnes
 Circumfer, manibusq; tene, quò Nata Tonantis
 Te mitem & superis similem CLEMENTIA reddat.
 Nec tibi regnanti veniat tam dira cupido,
 Vt metui forsàn, quàm blandos cernere malis
 Subiectorum oculos acie spirante fauorem.
 Quem metuunt, odere: at amant in Principe semper
 Propitios vultus & lumina florida ciues.
 Est aliquid vulgus legum compescere freno,
 Et sceleri obsepire viam, pœnaq; nocentes
 Tollere, de populo ne pars sincera trahatur.
 Atquæ per villas hilarè perq; oppida transit
 Illa homines inter res iucundissima REGVM
 Non ullo moritura die CLEMENTIA LAVS
 EST.

His ut rite queat donis Respublica multo
 Tempora salua frui, durantibus indiget annis
 Vita tua, & canæ poscit rugosa senectæ
 Emolumenta. Etenim si, præporante ruinam
 Perfidia, ostendunt tantum mortalibus ægris
 Nomina magna Ducum fata inuida, nec tamen illos

Esse sinunt vitæq; æuum cum laude pacisci,
 Plus luctus quàm lucis habet: quartum ergo, quod ò sis
 Perpetuum felix, nostri de margine fundi
 Munus habe seruaq;, salutifera Panacæe
 Insignem ante alias medicis virtutibus herbam.
 Nam licet incautasq; manus infectaq; contra
 (D I prohibete nefas) funesto pocla veneno
 Armari possis gentilis germine RUTÆ,
 Hæc tamen, & reliquos arcens à corpore morbos,
 Restituit membris pulso languore vigorem.
 Pauca etiam numero sed pondere plurima paruis
 Adyctiam donis: Tibi enim, tibi Maxime Princeps
 MAGNANIMI Patris INTREPIDOS conami-
 nis actus,

Consilium PRVDENTIS Aui successibus amplis,
 Et placidos Proavi vultus mentemq;, BENIGNAM
 LVDOLPHIQ;, senis LONGEVOS apprecor
 annos.

Hæc ego: Vos nostris nunc vota adiungite Nympha,
 Et vacuum lato ferientes aëra plausu
 Accinite hoc breue, sed nemori resonabile, carmen:
 Viuat iò, viuat populo gratissimus omni
 CHRISTIADES, viuat Princeps dignissimus æuo,
 Viuat, & ad longos deuolet sceptra nepotes.

Hæc Albi, seseq; iterum digressus ab antro

Inces-

Incessu fluido medium proiecit in amnem,
Et caput undarum sinuoso gurgite texit.

At Nymphæ (nec enim tenues inpectore motus
Extimulabat amor postquam Pater Albis in undas
Cesserat) inter se tantis de rebus agebant.

Ominibusq; bonis ut prosequerentur honorum
Auspicia, optarentq; nouo sub Principe munus
Quaq; suum, in viridi per mollia gramina prato
Instituere choros, & terno ex ordine, iunctis
Inq; vicem manibus, per gyrum incedere lentis
Passibus, & tales ceperunt edere cantus,
Voce ubi Hamadryades Phylire formosa præibat,
Naiâdes Mycale, sed Oreadas inclyta Phryne.

H A M. Dux Augustiade C H R I S T I qui nomine
nomen

Dulce geris, patriæq; adiens moderamina terra,
Nunc per subiectas passim deducere Vrbes,
Nos tua turba sumus, tibi dedita solvimus ora
Suscipe Hamadryades tua iussa subire paratas.

N A. Nos quoq; Saxonica tua versamur in umbra
Naiâdes) & ruta augustum veneramur odorem,
Siue diem clauso componat vesper Olympo,
Seuradijs illum Sol euocet: Optime Princeps
Suscipe Naiâdes tua iussa subire paratas.

O R. Nec minus à longis gaudemus Oreades annis

Officio culeuq; Duces agnoscere, Mysis (ferat
 Quos VVITECHINDÆO seclum de stemmate pro-
 Octauum, & rerum Dominos dat: Oreadas euge
 Suscipe CHRISTIA de tua iussa subire paratas.
 HAM. Semper Hamadryades campis habitamus aper-
 Nostraq; per lateas seges & pingua crescunt (uis
 Rura bona, & pleno cumulaturo copia cornu,
 Dum modo vastator miles non ingruat armis.
 PACE opus est nobis ut rem faciamus in aruis:
 Pace nihil melius, Pacem te poscimus omnes.
 NA. Ad gelidos amnes inclusaq; flumina ripis
 Naiades exercemus opus vitamq; tenemus:
 Ne violentus opes partumq; labore lucellum
 Discerpat prædo, manibusq; rapacibus instet,
 IUSTITIA nobis opus est & legibus æquis:
 Iustitiam curamq; æqui te poscimus omnes.
 OR. Montibus & Siluis habitamus Oreades altis,
 Intimaq; omnigenæ penetramus viscera terre,
 Rerum inopes quibus arua tument: Sed maxima nobis
 Cæli cura sedet, Cæli ne orbemur honore
 RELIGIONE opus est nobis, & dogmate
 sano:
 Sincerum Fidei cultum te poscimus omnes.
 HAM. Pace vigent vrbes præcinctaq; mænia fossis
 Pace suas mercator opes exponit inermis,
 Letaq; connubijs operatur in vrbe iuuentus,

Et cantus citharæq; placent, agilesq; choreæ:
 Pace artes florent doctorumq; atria vatum.
 Pace nihil melius, Pacem te poscimus omnes.
NA. Iusticia humanis Regina est optima rebus,
 Iusticia regnante, decor dominatur honesti,
 Nec fures nebulo sequitur, nec adultera machum
 Sed sine Iusticia nec gaudent manibus Vrbes,
 Nec mercator opes impune exponit inermis.
 Iusticiam curamq; æquite poscimus omnes.
OR. At merito Pietas homini tutissima semper,
 Qua nouisse DEI mentem, & quid postulet usus
 Scire licet, quo vita modo, qua lege regenda,
 Ad placitum nutumq; Patris cui sidera parent,
 Quidq; probè ex partis opibus tribuatur egeno.
 Sincerum Fidei cultum te poscimus omnes.
HAM. Pax alit agricolam spe messis aratra mouentem,
 Pax sua committit Cerealia semina sulcis
 Lanigeras Pax tondet oues, & dulcia musta
 Vt cellis condant, calcatis exprimit vuis
 Nectar terrigenum: Pacis sunt omnia munus.
 Pace nihil melius, Pacem te poscimus omnes.
NA. Iusticia agricolæ villas & plena tuetur
 Horrea, furacesq; manus ab ouilibus arcet
 Noctiuagi generis: nî sit, non vlla manebunt
 Prædia ruricolis, nec dulcis munera Bacchi
 Innocua in cellis, nec erunt beuè condita farræ.

Iusticiam curamq̄, equi te poscimus omnes.

OR. Quicquid id omne tamen, Pietas, sinceraq̄, cultus

Relligio, ut crescant sata laeta boum q̄, labores,

Et Bacchi sit fetus ager, caeleste supinis

Numen adit precibus: nū sit, nec messis aristas

Nec vites vuas, nec habebunt gramina campi.

Sincerum Fidei cultum te poscimus omnes.

H A M. Pace bona Princeps hilares certamine ludos

Instituit, si quis cursu celerique sagitta

Incedat melior, longi seu cuspide conti

Vectus equo metam directo perforet ictu:

Stant ciues, spectantq̄, hilari solennia vultu.

Pace nihil melius: Pacem te poscimus omnes.

N A. Si ludit Princeps & curam negligit equi,

Aut miseras sine iure sinit, sine legibus, vrbes

Dura pati, scelerumq̄, nefas non vlla coërcet

Pœna, furit nullo correptus vindice latro:

Nec vultus hilares, nec agunt solennia ciues.

Iusticiam curamq̄, equi te poscimus omnes.

OR. Ludere rite potest nullo discrimine Princeps

Cum vacat, Imperij nec magna negocia ludos

Impediunt: At si Pietatis pectore toto

Et vere accensus stat Relligionis amore,

Cum Sanctus olim caelesti ludet in aula.

Sincerum Fidei cultum te poscimus omnes.

H A M. Ve viret in culto genialis amaracus hortus,

Vel

Vel rosa, & ambrosium folijs exhalat odorem:
Aurum cum Vere nouo tellus viridantia resque
Vestit, & in pratis terrestria sidera flores
Collucent: Talis iucunda est gratia Pacis.
Pace nihil melius: Pacem te poscimus omnes.
N A. Qualiter Eois primò cum surgit ab undis,
Et caelo se pura infert, rutilanteq; toto
Astra polo passim radiantia luminis igne
Aurea fecunda praecellit stella Diones:
Iusticia in terris sic est pulcerrima rerum.
Iusticiam curamq; equi te poscimus omnes.
O R. Ve Sol à tenebris terras ventosaq; purgat
Aequora luce sua, vitamq; animalibus affert:
Sic Pietas & vera Fides, purgataq; fūco
Dogmata caelestis transcendunt omnia Verbi,
Et vitam adducunt superata morte perennem.
Sincerum Fidei cultum te poscimus omnes.

Hos ille inter se cupido certamine cantus
Dum resonant, iterum canum caput extulit Albus,
Protensaq; iubens praestare silentia dextera,
Votorum satis est, inquit, Dabit omnia largè,
Ne dubitate, Bonus nostro sub Principe IOVA,
Optatam requiem, & tranquilla commoda Pacis,
Iusticiaq; decus, sinceraq; dogmata Verbi
Aetherei. Vobis nunc vestra cubilia Nymphae

Rursus adire licet. Tu vero maxime Mundi
 Conditor, ô eterne DEVS, tu Numine firma
 Dicta tuo, & nostris ceruicibus impia bella,
 Impiaq; ô prohibe fucata commoda pacis:
 Nulla salus bello, nisi quod tu feceris, & pax
 Nulla bona est, si non veniat te praeside, si non
 Ad verbum nudumq; tuum: tu da optime rerum
 Pace frui, quam non culpas, da bella minasq;
 Posse pati, quae pulcra pijs, tibi grata geruntur.
 Sic ait, & vitreis madidum caput abdit in undis.

Haec tibi scribebam, Dux illustrissime, fati
 Lætus amore tui, cum te, primordia Regni
 Tractantem, iam bis nonus natalibus annus
 Acciperet: sed ego fermè trieterida vitæ
 Bis nonam expleturus eram. Tu fronte benigna
 Accipe, Maiorumq; legens præclara tuorum
 Nomina virtutesq;, tuas ne despice laudes:
 Et me, si mereor pacato respice vultu.

F I N I S.





L I P S I Æ

*Excudebant hæredes FRANCISCI
SCHNELBOLTZII,*

Typis hæredum BERERI.

ANNO M. DC. I.



mc

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

L I P S I A
Erhardus de ...
SCHWELBROTTN ...
Typis haredum BERGII

ANNO MDC LXXII
Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



Königsk

Abßiß

die

von

ULB Halle

3

004 789 229



CH
D V
ROM
Icha
Cum
CV M
COMPL
Electora
uincia
M. A
Errent


Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



II.
RI
AR-
lio
fe-
III.
RVM
pro
di-
AM
s.
o.

